



7.

QUAESTIONES LITERARIAE

DE POPULO, DE SENATU, DE REGE, DE INTERREGIBUS,

ANTIQUISSIMIS REIPUBLICAE ROMANAE TEMPORIBUS.

QUAESTIONES LITERARIAE

DE POPULO, DE SENATU, DE REGE, DE INTERREGIBUS,

ANTIQUISSIMIS REIPUBLICAE ROMANAE TEMPORIBUS,

QUAS

FAVENTE SUMMO DEI NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GOZEWINI JANI LONCQ,

CORN. JAN. FIL.,

MED. DOCT. ET PROF. ORDIN.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

DIDERICUS TERPSTRA,

Groninganus.

A. D. XV. APRILIS, ANNI MDCCCXLII, HORA II.

Rotterodami,

APUD H. A. KRAMERS.

MDCCCXLII.

EX TYPOGRAPHEO VID. LOCKE ET FIL.

MATRI CARISSIMAE

SACRUM.

PRAEFATIO.

Pauca sunt, quae de dissertationis argumento praemonenda mihi videntur; de titulo vero operis ac ratione, quam in eo tractando secutus sim, quaedam adscripsisse non erit supervacaneum, ne, si quem lectorem scriptio invenerit, ei plus promisisse videar, quam datum sit. Itaque quum Romanam Niebuhrii historiam legerem iisque in primis delectarer, quae v. cl. de antiquissimis reipublicae Romanae temporibus scripsit et ipse de hac illave re, ad hoc tempus pertinente, dissertationis scribendae consilio capto in Interregnum inquirere statuissem, non potuit aliter, quin ea colligens, quae ab antiquis scriptoribus hoc de magistratu tradita sunt, de reipublicae eo tempore statu, de Patriciorum ordine et comitiorum ratione, de regum auctoritate, cujus vicarius esset Interrex aliisque cogitare inciperem: praesertim quum ea, quae a recentioribus [1]) de Interregno scripto sunt mandata, nisi comparata accuratiore regum aetatis

1) *Cl. Huskii et Gerlachii opera inspiciendi copia non fuit.*

notitia aestimare atque intelligere non possem. Inde factum, ut, discrepantia, quae inter virorum doctorum sententias obtinet, percepta, in ea etiam inquirere necessarium ducerem, ne semper vacillans nunc huc nunc illuc inclinarer, sed fundamenta, qualiacunque tandem, jacerem, quibus Interregni descriptio superstrueretur.

Res tamen paucis verbis peragi non potuit et majorem paginarum numerum insumsit, quam ut cum forma operis et titulo, quem daturus eram, conciliari potuisset. Consilio igitur inito, quum quae de populo, de senatu, de rege scripsissem, necessaria viderentur ad locum de Interregno rite percipiendum, titulum, qui cum forma operis pugnare videbatur, mutavi eumque, quem nunc habet, praeposui: ita, ut in quatuor partes scriptio discedat, singula tamen capita inter se cohaereant, quum ea, quae in priore disputata sint, lucem afferant iis, quae insequens contineat.

Cur igitur haec moneo? Scilicet, ut, si quis singula capita considerans plura abesse animadverterit, quae abesse non debuissent, si res, de quâ agatur, per se esset tractata, reminiscatur primum juvenilis aetatis imperitiam et ignoscat errori, deinde in animum revocet, me in tribus prioribus capitibus ea tantum monere voluisse, quibus ad intelligentiam eorum, quae de Interregno dicta sunt, opus esse videbatur.

Vero autem in rerum disquisitione atque expositione, quoad potui, operam navavi: unde et ea, quae a recentioribus contra antiquorum auctoritatem dicta esse viderentur, indicare et pro viribus refellere conatus sum: qua in re si debita modestia subinde non usus esse videar, veri potius studio, non arrogantiae adscribatur, enixe rogo atque haec venia detur juvenili auctoris aetati, ut, primo virium periculo facto, quod in operis forma aut rerum dijudicatione omiserit vel peccaverit, facilem atque indulgentem judicem inventurum speret.

Utinam autem primos hosce conatus Pater Carissimus vidisset laetumque diem adspexisset, quo ad summos in litteris honores, primum doctrinae specimen editurus, adspiro, suum opus, suae curae fructus, sui laboris praemium.

Hei mihi! quanta voluptate excidi, qui optimum et venerabilem virum, cui omnia secundum Deum debeo, fato ereptum lugeam eo ipso tempore, quo remunerare quodammodo et reddere potuissem, quae bona in me per totam vitam conferre non desiit! Quam saepe in studiorum cursu vires intendebam, ut citius finem iis imponere possem, intelligens magnum id fore aegritudinis solatium, quam pater e fratris dilectissimi morte contraxerat, qui, quum ego vixdum litterarum curriculum intrassem, de litteris jam bene meritus patris or-

namentum deliciaeque fuit. Tristis illa sed suavis tamen ejus temporis recordatio saepius subit animum, quo primo examine feliciter peracto laetus patris domum redux hilarem senis vultum adspexi, me suae laetitiae auctorem praedicantis; quod si magnam ei voluptatem praebere potuit, quam festus ille dies ei fuisset, quo litterarum primitias ei dedicassem et studiis peractis domum rediissem, ut ejus sermonibus atque exemplo ad futurum doctoris munus magis magisque praeparari potuissem. Redissent tempora illa voluptate deliciisque plena, quae, dum Ultrajecti studiis operam dabam, rarius obtingere solebant, quando feriarum tempore cum carissimo viro Sophoclis tragoediam, quo potissimum delectabatur, legebam eumque de poetae in sensibus humanis effingendis elegantia ac suavitate vel de characterum, ab eo expressorum, nobilitate audiebam loquentem; vel extra urbem, ut facere lubenter solebat, obambulans de historia ejusque utilitate ad bene beateque vivendum multa, quae legisset vel ipse cogitaret, mecum communicabat.

Oh! cur amissa demum bona suo pretio aestimamus? Nunc demum, nunc rite perspicere incipio, quanti patris amantissimi jactura filio stet, nunc demum ejus et exhortationes et praecepta et doctrinam requiro: nunc demum desidero amicum illum comitem studiorumque auctorem, quem in

optimo patre nactus eram, quod illo tempore non satis percipere neque aestimare poteram.

Sed quid queror infortunium meum, quid maereo ob calamitatem, a summo Deo mihi immissam, cujus sapientiam atque amorem pater dilectissimus semper suspiciens in maximis etiam adversae fortunae vicissitudinibus revereri fuit solitus? Gratiae potius Coelesti Patri mihi sunt agendae, quod diu optimum parentem habere contigerit, cujus praecepta servare, virtutes sequi, doctrinam aemulari, cujus vestigiis omnibus insistere intimumque erga me amorem recordari liceat. Utinam aliquando non indignus tali patre filius reperiar!

Ad hoc semper me incitare solebat, proh dolor! eodem fere, quo pater meus, tempore discipulis maturius ereptus **Philip. Guil. van Heusde** *v. cl., quem praeceptorem aestumatissimum nactus, quidni appellare possum? Qui quid elegans in antiquorum scriptis, quid pulcrum, quid verum atque utile suavissimo sermone non publice tantum, sed privatim etiam et me docere ad eaque sequenda adhortari numquam desiit et juvenili animo senis jungens gravitatem ad virtutem doctrinasque colendas Socratis et Platonis exemplo excitare atque incendere discipulorum animos summo vigore semper perrexit. Vivet ille, quamdiu litteris humanioribus erit decus in omnium, qui enim cognovere, animis.*

Ad te vero cl. Van Goudoever, *me convertere licet et grati animi profiteri sensus pro plurimis in me collatis beneficiis. Non lectiones tantum tuas frequentare et doctrinae copiam inde percipere contigit; sed amici loco mihi fuisti et post patris praesertim mortem, ejus partes, quantum posses, suscepturum te pollicitus, promissum illud praestitisti ac consilio factisque sarcivisti jacturam et lenivisti dolorem, quem inde contraxeram, expertus ipse, quam grave vulnus, quam acerbam aegritudinem inferat ruptum illud suavissimum intimumque vinculum, quo patris et filii animos colligat et constringat mutuus amor.*

Sic erga me affectus, nuper etiam, quum dissertatione scribenda occupatus tuo consilio subinde indigerem, mihi non defuisti, sed liberaliter atque amice de rebus dubiis interroganti respondens, sponte adhortando, monstrando viam erexisti animum doctoris amicique functus officio.

Pro quibus omnibus, ne verba multa a me exspectes, Vir Clarissime! — quamquam publice, quid tibi debeam profiteri lubet — sed facta doceant, utrum, quae dicerem, e grato pectore fluxerint, an vani et solennis moris causa emissi soni sint habendi. Spero fore, ut in posterum eandem erga me benevolentiam conserves, in quam etiam atque etiam me commendo.

Multa etiam tibi, cl. Schroedere, *me debere*

grato animo praedicare liceat. Tu et Antropologicis tuis lectionibus et aliis ad philosophiam pertinentibus effecisti, ut de me ipso et de hominis ingenio, de veritate cognitionis humanae aliisque maximi momenti rebus accuratius cogitarem, mei fierem conscius quique bonorum esset finis melius intelligere inciperem. Benevolentiae quoque, qua in eorum numerum me suscepisti, qui domum tuam convenire solebant de philosophia disputaturi, qua privatim etiam me, quantum in te erat, adjutus es, ne unquam obliviscar.

Quocirca gratias, quas publice tibi ago, ne recuses et hoc tibi sit grati mei animi documentum, si semper, quod tu docere es solitus, veritatis colam et religionis studium.

Per breve tempus, cl. **Karsten,** *institutione tua usus, non possum tamen, quin tum pro ea tibi me devinctum profitear, tum pro amicitia, qua me prosequi es solitus. Ut in posterum etiam eadem me prosequaris studiisque faveri non dedigneris enixe a te peto.*

Nec, nisi gratiis vobis actis, Optimi Juvenes, Academiam relinquere possum, quibuscum arctiore amicitia conjunctus fui, vobis etiam, qui mecum sodalicii, cui symbolum Utile-Dulci, fuistis socii. Oh! quoties in vesperarum illarum memoriam redeo, quibus amicitia litterisque faventibus, vobiscum esse solebam, dulce succurrit desiderium repetendi

riam, quam jam emensus sum, ut rursus deliciis illis frui liceat, quae tum mihi contigerint. Vos omnes, Amici, me docuistis, quam verum Ciceronianum illud, nihil praestantius amicitia a summo Numine hominibus esse datum. Valete omnes, estote felices et quaecunque vos maneat sors, amicitiam servatote, quam erga vos incorruptam conservaturum me polliceor.

Vos omnes denique, qui quocunque tandem nomine vel ante vel nuper fautores mihi fuistis, publicum grati animi testimonium accipite pro benignitate et liberalitate, qua hucusque erga me usi estis; privatim gratiam vobis habere numquam desinam.

Scripsi Rotterodami,
m. Martio a. 1842.

DISSERTATIONIS CONSPECTUS.

CAPUT 4.

DE INTERREGNO.

CAPUT I.

DE POPULO ROMANO.

§ 1.

DE POPULI ROMANI ORIGINE ET DIVISIONE.

Varias de Romanae civitatis origine primisque incolis opiniones recensere ab hujus scriptionis consilio alienum est; una tamen hoc loco commemoranda, quae prae ceteris simplicitate et verisimilitudine se commendare videtur, quamque unam veram esse crediderim.

Secundum eam igitur Romanae civitatis incunabula ex Alba sunt repetenda, quâ in urbe traditur, Proca rege mortuo, rixam inimicitiasque de successione inter ejus filios Numitorem et Amulium fuisse ortas; unde factum, ut Numitor regni possessione cesserit, privatis patris possessionibus a fratre acceptis, Amulius vero regnum susceperit, e quo postea rursus a Numitore est ejectus. His fratrum de regno querelis et certaminibus pars civium reges perosa inducta est, ut post Numitoris mortem emendationem civitatis formae quaereret, obnitentibusque aliis loco regiae minorem quandam potestatem civitatis principi committendam censeret, cujus

quidem rei hic exitus fuit, ut, qui regiam tollere potestatem in animum induxissent, vincerent, contrariae vero partis cives, urbem relinquentes, in Palatinum montem secederent ibique urbem conderent, cui postea Romae nomen est datum [1]).

Hujus urbis incolae deinde cum Etruscis, qui a Caelio Vibenna in Caelium montem deducti atque iniquo foedere cum Romanis conjuncti erant [2]) et cum Sabinis, quibuscum aequum foedus post bellum de virginibus raptis inierant, sese conjunxere [3]).

Fôedus illud trium populorum sive gentium et in unam civitatem conjunctionem post bellum Sabinum obtinuisse, ut credamus, faciunt plurimorum antiquorum scriptorum testimonia [4]), ut fides non habenda cl. Niebuhrio, Luceres a Tullo Hostilio demum in civium numerum fuisse receptos [5]), nec cum cl. Wachsmuthio, Etruscos cum Servio Romam venisse statuendum [6]), quia nec Claudii testimonium, quo nititur, satis validum est, neque indoles Servianae institutionis Etruscam indolem redolet [7]). De populi Romani divisione duae sunt opiniones, una eaque plurimis probata, populum in tres tribus, singulas tribus in denas dividit curias, quae rursus quibusdam in denas decurias dissectae fuisse videntur, altera, quae cl. Wachsmuthium habet auctorem, huc fere redit. Livius lib. 1. c. 13 narrat,

1) Vid. Göttling, Geschichte der Römische Staatsverfassung von Erbauung der Stadt bis zu Caesar's Tod, pag. 47 seqq.

2) Göttling ll. cf. Niebuhr. ll. tom. 1. pag. 312.

3) Göttling pag. 49 cf. Niebuhr. tom. 1. pag. 314 seqq.

4) Göttling pag. 48 seqq.

5) Göttling pag. 222.

6) Ælteste Geschichte des Römischen Staates, pag. 162. — Niebuhrii conjecturam secutus est, tom. 1. pag. 401 propositam.

7) Göttling ll. pag. 232.

populi divisionem in curias a Romulo et Tatio esse factam; de tribubus vero silet, sed tres Equitum centurias, postea ab iisdem institutas esse tradit, quae, ut deinde a v. cl. demonstratur, cum tribubus Dionysii synonymae sunt habendae. Post Sabinum igitur bellum finitum ab utroque rege curiae institutae Livio videntur; in quo a Pomponio dissentit, qui primum civitatis formam inconditam et sine lege certà institutam fuisse dicit, postea tamen in triginta partes sive curias a Romulo esse divisam [1]), atque ita convenit cum Varrone, qui curiarum nomina non a Sabinis repetebat mulieribus, sed a Romulo nomina antiquorum ducum patriarumque regionum accepisse existimabat [2]). Errare igitur Livius videtur Sabinarum nomina curiis imponens et hanc potissimum ob causam earum institutionem Romulo et Tatio tribuisse, quae ad antiquiorem aetatem et Romulum solum erat referenda.

Quodsi verum est, Dionysii narratio non est admittenda, quae solum Romulum divisionis in tribus et curias facit auctorem. Ipse Dionysius auctoritatem suam infregit, quia fraudis voluntariae non est absolvendus, propterea quod et tribuum et Equitum centuriarum nomina omiserit, ne fateri cogeretur, tribus post curias esse constitutas; Titiensium enim nomen memoratum contra eum esset testatum [3]).

Curias vero antiquiores esse tribubus singulari modo e Tacito etiam probare possumus, e cujus lib. 12. c. 24 Annalium constat, curias veteres omnes in monte Palatino intra antiquissimum urbis

1) De orig. jur. § 1 et 2.
2) Apud Dion. lib. 2. c. 47.
3) Dionys. lib. 2. c. 12 et 13.

pomoerium fuisse, unde postea in alium locum translatae sint [1].

Magnum, ita pergit cl. Wachsmuthius, magnum erat discrimen inter tribus et curias; curiae religioso quasi vinculo populum continebant et communium sacrificiorum causâ institutae erant [2], tribus vero rei militari et militibus conscribendis inserviebant et secundum tribus exercitus erat instructus propter diversa armorum genera.

Tribus autem et Equitum centuriae ejusdem rei diversa sunt nomina, quod patet e comparatione Livii et Dionysii, quorum ille *Equitum centurias*, hic *tribus* Tarquinium mutare voluisse tradit [3]; et confirmatur differentiâ, quae inter Celéres Equitesque est facienda. Celeres enim Romuli fuere satellites, quos corporis custodiendi gratiâ secum habere solebat, quum contra Equitum centuriae totum exercitum significant, qui maximam partem peditibus constabat, cujusque centuriis more antiquo praefecti ex Equitibus erant praepositi, qui ante aciem suorum pugnam inirent, suosque propriâ virtute defenderent; quo factum, ut singulae exercitus partes majores s. tribus Equitum centuriae vocarentur: progressu vero temporis haec exercitus ratio mutata est et separatas turmas Equites nacti sunt. Mansit tamen antiqui moris species et diu etiam post totum populum repraesentandi honor Equitum tribuebatur centuriis; ita enim verba Livii

1) Festus *curiae novae.*

2) Si curiae cum militia quidquam commune habuerint rogat, qui factum sit, ut Tarquinius cum novis tribubus non curias etiam novas instituere voluisse antiqui tradiderint.

3) Liv. lib. 1. c. 36. Dionys. lib. 3. c. 71. cf. Fest. in voce Navia.

explicanda sunt, lib. 10. c. 8, ubi tres antiquae tribus memorantur [1]).

Uti Romuli triginta curiae unum tribum Ramnensium continebant, sic post Sabinum bellum duabus Etruscae et Sabinae originis gentibus receptis, duae, Titiensium et Lucerum, tribus exstitere, ut tres essent numero, quarum participes omnes in curias sunt distributi, ita, ut eodem modo omnes tribus in curiis continerentur, quo tribus Servianae in centuriis. Tribus proprie agri divisio fuere, (in quo Varronis sequitur sententiam de l. l. pag. 17) gentilis enim partitio, quam Dionysius habet, defendi non potest, quoniam intelligere non possumus quomodo tres antiquae tribus gentiles in quatuor Servii τοπικὰς transire potuerint; unde refutatur etiam eorum opinio, qui curias tanquam trium tribuum partes considerant. Fieri enim debuit, ut, quum tres essent tribus, e tribus vero agri partibus duae in regis et deorum usum adhiberentur, duaeque hae posteriores divisionem in curias non admitterent, unius tribus omnes curiae essent [2]).

Haec est cl. Wachsmuthii de tribubus et curiis hypothesis, quae quidem tantopere differt ab imagine, quam hujus rei nobis antiqui adumbrarunt, ut in virorum doctorum vituperationem incurrerit et a cl. Strassero in primis, allatis veterum locis, ita est dijudicata, ut post ea, quae a doct. Van de Velden de eadem re contra Wachsmuthium sunt disputata, nihil sit, quod accuratius subtiliusque disputari possit; quocirca ad eos viros lectorem

1) Cf. Festus *sex Vestae sacerdotes.*

2) Wachsmuthii hypothesis legitur ll. pag. 191 seqq.

lubenter refero [1]), de tribubus, curiis, decuriis, quantum pro nostro consilio liceat, jam videamus, quid statuendum videatur.

Tribus primaria populi distributio fuit; hujus enim reï testes habemus, quibus credere licet, Ciceronem et Plutarchum cum Dionysio consentientes, fortasse etiam Ovidium [2]); nullum vero antiquorum testimonium exstat, quod eorum sententiae refragatur. Reliqui enim omnes vel de ratione, quae inter tribus et curias intercesserit silent, ut Servius, Columella [3]), Pomponius, Varro [4]); alii nullam tribuum rationem habuere, ut Aurelius Victor et Livius [5]), qui tamen deinde in aliâ operis parte trium antiquarum tribuum meminit; alii denique cum tribubus curias miscuerunt, ut Festus et Pseudo-Asconius [6]).

Dionysius, ut cl. Wachsmuthius probatum ivit, datâ operâ nomina tribuum silentio transiit, ne cogeretur quam Romulo soli adscripsit divisionem, item ad Tatium regem referre: ceterum hic alius divisionis ante S. Tullium mentionem non fecit.

Tribus proprie fuere populi divisio, quamquam ager quoque in tres partes, a tribubus nomina ha-

1) Strasserus, Versuch über die Römischen Plebeyer der älteste Zeit, § 23 - 32. Van de Velden, in disquisitione de Romanorum Comitiis, pag. 33 et 34.

2) Cic. de Rep. lib. 2. c. 8. Plutarchus in Romulo. c. 20. Dionys. lib. 2. c. 7. Ovid. Fast. lib. 3. v. 131 et 132. *Quin etiam partes totidem* (sc. decem) *Titiensibus idem* (sc. Romulus) *quosque vocant Ramnes, Luceribusque dedit.*

3) Apud Gesnerum Thes. l. l. in voce *Luceres.*

4) Pomp. de orig. jur. § 2 et 20. Varro ll. pag. 17.

5) Aur. Vict. de Vir. Ill. c. 2. Livius. lib. 1. c. 17. cf. lib. 10. c. 8.

6) Vid. Gesnerum ll. in voce *Curia.*

bentes, divisus fuit [1]), quod testantur omnes fere, qui de hisce scripto mandarunt [2]), eorumque nomina ab auctorum nominibus vulgo derivantur, Ramnes a Romulo, Tities a Tito Tatio, Luceres a Lucumone Etrusco, qui in bello Sabino Romulo opem tulit. Ita plurimi antiquorum explicant, quare et quod analogia duorum priorum nominum, quae ab hominibus derivata sint, idem de Luceribus arbitrari suadeat, Niebuhrius perperam egisse a Göttlingio judicatur, quum *Lucertes*, a Lucero, urbe in Coelio monte sita, derivatum in locum vulgaris nominis substitueret [3]).

Tribus verosimiliter non omnes inde ab initio affuere, sed uni Ramnensium post bellum Sabinum Titienses Luceresque accesserunt; conjunctio enim trium populorum, ut supra diximus, hoc tempore facta esse plerisque antiquorum visa est et causa, cur Dionysius ab illis discrepet, a doctissimo van de Velden recte, ut opinor, inde repetitur, quod more solito politicas et militares regum res gestas separatim tradendo, temporum discrimen non satis observaverit [4]). Definitus etiam centum senatorum numerus, qui cum tribus tribubus conciliari non potest, hoc confirmare videtur.

Singulae tribus decem continebant curias; pro quà partitione, praeter scriptorum testimonia [5])

1) Niebuhr. tom. 1. pag. 314. cf. Göttling. pag. 54.

2) Plutarchus in Romulo c. 20. Dionys. lib. 4. c. 14. Servius, Cicero ll. Festus in *Luceres*. Pseudo-Asconius ad Verrinas, pag. 159 Orelli. Columella lib. 5. c. 17.

3) Göttling pag. 56. Ubi vide etiam de Volumnii cujusdam opinione, nomina Etruscae originis fuisse contendentis.

4) Van de Velden ll. pag. 31.

5) Dionys. lib. 2. c. 7. Plut. in Romulo c. 20. Cic. de Rep. lib. 2. c. 8. Ovidius lib. 3. Fast. v. 131.

militare videtur pristinus centum senatorum numerus, mos senatum in decurias dividendi, (qui ad pristinum quoque centenarium numerum confirmandum valet) et decuriarum decurionumque nomina, quae ad id tempus pertinent, quo centum modo Equites fuere. Institutà novà Titiensium tribu, e Sabinis etiam centum Patres in curiam venerunt, unde eam in decem curias, eodem quo Ramnensis modo, divisam credere licet: quocirca magnopere dolendum de Luceribus senatoribus nihil a scriptoribus esse traditum, quod nostram non parum adjuvaret opinionem.

Tribubus tribuni, curiis curiones praefuere, qui cum sacerdotum et magistratuum dignitate militum etiam imperium habuisse videntur [1], a quorum magistratu tribunatus celerum rite est distinguendus. Tribunus enim Celerum unus duntaxat ab antiquis memoratur, excepto apud Dionysium, lib. 2. c. 64, ubi plurium Celerum praefectorum mentio fit, quibus etiam sacra quaedam peragenda erant. Sed verosimiliter hoc loco in errore Dionysius versatur et tribunis celerum tribuit, quod tribunis, tribubus praefectis tribuendum erat [2]. Ubique enim unus Celeribus, tres alii militibus praefecti apud Varronem et Vegetium memorautur [3], quare Niebuhrii conjectura vix probari potest, tres fuisse tribunos Celerum, quorum unius tantum, quod ho-

1) Niebuhr tom. 1. pag. 348. Göttling pag. 166.

2) Ita quoque Gottlingius pag. 189.

3) Varro de l.l. pag. 22. Vegetius de re milit. lib. 2. c. 7, neque unus e tribus tribunis militum boc tribunatus celerum honore functus esse videtur, (quae Göttlingii est sententia pag. 166), quippe qui peditum duces essent, non equitum, quorum praefectura celerum tribuno erat commissa.

noratissimae Ramnensium tribui praefuerit, mentio fiat: nec probabiliter statui potest virum, qui magistratum habere dicitur secundusque sit et proximus a rege, scutatorum praefectum fuisse, quorum cohortem regiis constitisse clientibus credere licet [1]).

In negotiis tam religiosis quam politicis peragendis utraque in tribus et curias divisio observari solebat. Sacrificia v. c. publica κατὰ φυλάς τε καὶ φράτρας fiebant [2]) et suffragia ferebant αἱ φυλαὶ κατα φράτρας [3]); nec aliunde milites scribebantur, quam e tribubus [4]), e quarum singulis mille ad exercitum mitti solere Varro et Vegetius auctores sunt [5]). E curiis vero singulis Equitum et senatorum decuriae legebantur [6]), etsi tribuum hic quoque ratio sit habita, et quando de novis civibus Dionysius loquitur semper hac vel simili formulâ utitur εἰς φυλὰς καὶ φράτρας ὁ βασιλευς κατέγραφε, in quâ tribus semper ante curias memoratae minores partes curias, tribus vero majores esse habitas arguere videntur.

Ad alteram accedimus gravioremque quaestionem, quae post editam Romanam Niebuhrii historiam in

1) Vid. Niebubr tom. 1. pag. 348. Liv. lib. 1. c. 59. Pomp. II § 15. Dionys. lib. 4. c. 75.

2) Dionys. lib. 2. c. 21.

3) Dionys. lib. 3 c. 35 cf. lib. 2. c. 60.

4) Dionys. apud Niebubr. tom. 1. pag. 492.

5) Vegetius de re mil. lib. 2. c. 7. Varro de l. l. pag. 21 in voce *Milites.*

6) Dionys. lib. 2. c. 13. δύς, sc. Equites, ἀπέδειξαν αἱ φράτραι — ἑκάστη φράτρα δέκα νέους. Varro pag. 24 v. turma. E tribus tribubus terdeni in turma fuisse scribit: inde tamen non sequitur secundum tribus Equitum decurias esse conscriptas, sed significat ternas decurias, singulis e singulis curiis uniuscujusque tribus lectis, turmam confecisse: de senatoribus vid. Dionys. lib. 2, c. 12.

duas partes Eruditorum turbam divisit, curiarum dico partitionem.

Dionysius [1]) singulis curiis aliquot partes attribuit, quibus decuriis nuncupatis Niebuhrius gentes singulas significari opinatus est, ita, ut in singulis curiis decem gentes, in omnibus trecentae essent [2]). Eum secutus cl. Hüllmannus idem se credere professus est [3]), quum contra cl. Göttlingius decurias plures continuisse gentes probare studuit, quorum numerus esset indefinitus; cujus quidem argumenta tam valida sunt, ut non dubitem ejus sententiam sequi.

Non possumus, inquit [4]), intelligere, quae a Livio et Dionysio tradita sunt, gentes scilicet quasdam vicinas inter Romanas gentes fuisse receptas, nisi indefinitum gentium numerum statuerimus; ut utriusque scriptoris dicta ita accipienda sint, gentes illas numerum earum auxisse, quas decuriae complectebantur. Si enim contrarium posueris et cum Niebuhrio gentium numerum augeri potuisse negaveris, statuas necesse est, aut gentes illas in curias non fuisse distributas, quod cum disertis pugnaret antiquorum testimoniis, aut credere oportet, id quod itidem factum non est, nomina sua novis gentibus esse adempta, adscitis earum nominibus, a quibus adoptatae essent.

Accedit, quod gentes illae trecentae sensim paullatimque interire debuissent, si alias assumere non licuisset: quare nec de antiquis Atticorum gentibus idem credendum est, quia iidem scripto-

1) Dionys. lib. 2. c. 7.

2) Niebuhr tom. 1. pag. 334.

3) Hüllmann, Römische Grundverfassung pag. 4.

4) Pag. 62 seqq.

res, qui trecenta sexaginta γενῆ fuisse tradiderunt, unamquamque gentem triginta viris constitisse addunt, quem numerum, si aeque ac gentium tamquam definitum cogitemus (ut facere oportet, qui sibi consentire velit) nullis novis additis non interiisse, quis est, qui credat?

Patet igitur nec ratione, neque analogiâ Niebuhrii opinionem defendi; quo magis antiquorum testimoniis stetisse juvabit, quae per cooptationem gentes alienas in civium numerum admitti solitas fuisse docent [1]).

Itaque quum Dionysii decuriae, uti ex allatâ Göttlingii disputatione manifestum esse arbitror, non gentes ipsas, sed gentium multitudinem significare censendae sint, quaeritur, quem usum praesterint? Neminem autem dubitare suspicor, quin Dionysio fides sit habenda, unice harum decuriarum mentionem facienti: videmus enim in populi Romani divisionibus saepe ejus modi sectiones occurrere. Quaevis curia, ut animadvertimus, Equitum decuriam mittebat ad exercitum, easdemque

1) Vid. Suetonius Tib. vit. c. 1 cf. Liv. lib. 4. c. 4. Gentes illas cognatorum familiis constitisse contra Niebuhrium egregie contendit cl. Göttlingius ll. pag. 65. cf. § 42, jura persecutus gentilicia, quorum plurima, ut jus hereditatis, tutelae, furiosorum et prodigûm curae, alia ad cognationem spectant; tum loco illo celebri in Ciceronis Topicis c. 6 explicando, qui non, ut Niebuhrius putaret, universe significat, qui gentiles fuerint, sed quae esset gentilis definitio hereditatis ratione habita. Sic enim Adoptivi, Emancipati, Libertini et uxores in manu hereditate gentilicia excluduntur: si vero cum Niebuhrio feceris, hi omnes, quippe capite deminuti, gentiles esse non potuere, quae Ciceronis opinio non erat. Praeterea sublato definito gentium numero cadit quoque magnum Niebuhrianae sententiae fulcrum; credere enim non absonum ei videbatur, absolutum eum numerum a legislatore potius voluntate, quam a cognatione fuisse profectum.

singulas senatorum decuriam in senatum ablegasse, cum Equitum eligendorum ratio suadere videtur 1), tum mos, in Interregibus prodendis observatus, secundum quem senatus in decurias decem senatorum discedere et singuli e singulis decuriis eligi solebant, qui rursus Interregum decuriam conficerent.

Causa igitur, cur curiae in decurias dividerentur, haec fuisse videtur, quod sic exercitus facilius regi militesque dicto obedientes esse multiplicatis ducibus, tum etiam suffragia hoc modo citius colligi et computari poterant 2). Populi igitur Romani tribus et curiae indefinito gentium numero constitere, quae in decurias sive sectiones divisae erant, hoc consilio, ut in rebus tam militaribus, quam politicis omnia, ordine et tranquille fierent: qui autem ad populum proprie sic dictum pertinuerint jam nobis disserendi praebebit materiam.

§ 2.

DE POPULI ROMANI PARTIBUS.

« *In populo omnis pars civitatis, omnesque ejus ordines continentur, ita Gellius scripsit Capitone auctore, atque ita non solum extremis rei publicae temporibus, sed inde ab initio res se habuit.*"

His verbis Hullmannus v. cl. finem imposuit ratiocinationi suae, quà Niebuhrii hypothesin, in Curiis Patricios tantum cum clientibus fuisse, evertere conatus est, quam et evertit veterum testimoniis

1) Vid. Göttling pag. 151.

2) Göttlingius decurias peculiariter ad senatores, equites, judices legendos institutas esse suspicatus est pag. 64. cf. pag. 161.

allatis, quibus Wachsmuthius etiam auctoritatem tribuere solet.

Niebuhrii sententiam propugnare studuit cl. Göttlingius, nec tamen tueri potuit, quod totius antiquitatis effatis adversatur, quod jam pro viribus ostendere ducibus viris clarissimis propositum est.

Patricios Cincius aït in libro de comitiïs, eos appellari solitos, qui nunc ingenui vocantur [1] ejusque fortasse effatum secutus Livius Patricios vocat, *qui patrem ciere possunt* i. e. *nihil ultra, nisi ingenuos* [2] et eandem definitionem Dionysius etiam novit, etsi populo Romano indignum judicet, magnam ejus partem liberum parentem profiteri non potuisse [3].

Gottlingius cl. vir pag. 68 Cincii verba sic interpretatur, "quasi ingenui ii tantum sint habendi, qui in gente aliquâ nati sint sive natalium jure ad gentem pertineant, a quo ita cl. Niebuhrius differt, ut ingenuos a Cincio clientibus sic oppositos esse opinetur, quemadmodum suo tempore ingenui libertinis opponi solerent.

Secundum argumentum, e Livii verbis, lib. 10. c. 8, petierunt cl. Niebuhrius pag. 346, Gottlingius pag. 68, ubi ad Patricios tribunus plebis « *semper ista audita sunt eadem, vos solos gentem habere*" unde civitatem plebejis abjudicatam solis Patriciïs largiuntur, quippe qui soli in gentibus fuisse viderentur: multas quidem alias gentes, juraque gentilicia fuisse non negant, sed Patricias tantum a civitate agnitas, tanquam civium gentes consideratas esse opinantur.

1) Festus in voce *Patricii.*
2) Liv lib. 10. c. 8.
3) Lib. 2. c. 8.

Cl. Hüllmannus, pag. 46, qui suam sententiam doctissimo Vau de Velden probavit etiam (pag. 52), gentem hoc loco *familiam* significare existimat, ut tribunus dicere putandus sit, vos semper eadem ista repetitis, gentem vos solos habere, i. e. vos putatis e purioris sanguinis et superioris alicujns ordinis familiis originem cepisse atque inde auspiciorum capiendorum jus ad vos solos jure pertinere. Cum quo tamen non consentiens cl. Strasserns aliam rursus de iisdem verbis seutentiam protulit.

Patricii, inquit, pag. 24 et 25 e ditissimis lecti, soli patronatus jus habentes magnum clientium numerum alebant, qui ad gentem eorum pertinebant, ad quos sese applicassent. Devictorum vero populorum principes, qui in suâ civitate clientium turbam habueraut, Romam traducti in plebis ordinem referri solebant, unde fiebat, ut amissâ patrnm dignitate officia non amplius praestare possent, quae Patronus erga clientes peragere debebat; cum Patrum enim honore patronatus jus amiserant. Quamvis igitur vinculum inter patronos clientesqne plerumque non solutum esse existimemus, tamen respublica id nou agnoscebat et privatum e publico fiebat mntuum illud officium, quoniam principes illi ad Patricium ordinem non amplius pertinere censebantur. Itaque jure Livius illa verba tribunum ad Patricios facit dicentem.

Tertium argnmentum sibi inveuire cl. Niebuhrius videbatur. tom. 1. pag. 328. not. 821, in quibusdam scriptornm locis, quae gentilitatis jus solis Patriciis adscribere videntur, inter quos illud potissimum Gellii dictum lib. 10. c. 20. « *Plebs vero ea dicitur, in quà gentes civium patriciae non in-*

sunt." Quum vero constaret gentes quosdam tam Patriciis quam plebejis constitisse familiis, quod negare Niebuhrius non potuit, ex illigitimis sive potius imparibus nuptiis id explicavit, quas utriusque ordinis cives ante constitutum lege Canuleja connubium inter se inivissent. Cl. Hüllmanno judice, temere, qui connubio per paucos tantum annos, a lege duodecim tabularum ad Canuleji legem, plebejis interdictum fuisse putans, auctoritatem illis Livii et Gellii locis, quos cl. Niebuhrius attulit, negat, quod gens hisce etiam locis familiam significare ei videretur [1]).

Haec fere sunt praecipua virorum doctorum argumenta ad gentilitatem plebejis vel abnegandam vel vindicandam prolata: priusquam vero ad argumentorum expositionem transeamus, quibus fretus Niebuhrius, Göttlingius aliique e Curiis plebejos removere studuerunt, de iis, quae jam enarrata sunt, paullisper disserere liceat.

Et primo quidem loco de Cincii verbis videamus, quae vulgari verborum significatione adhibitâ ita accipienda videntur « Patricii olim vocati sunt omnes, qui nunc, quod liberis parentibus nati sunt, ingenui appellari solent [2])." Sed vel sic (quidquid Niebuhrius dicit,) falsa Cincii opinio esse videtur, orta ex prava vocis *Patricius* notatione, quae e vulgo creditâ et celebratâ primorum incolarum feritate et rusticitate vim accepit, quamque Dionysium non

1) Hüllmann pag. 47; hujus autem argumenta doctissim V. d. Velden pag. 56 probat, afferens Liv. lib. 7. c. 1. lib. 6. c. 40 quibus probaret, alias etiam gentes praeter patricias fuisse.

2) Vid. Gajus Instit. § 11. Liv. lib. 6. c. 40. Suâ explicatione cl. Niebuhrio opus fuit, ne magna clientium pars sub Patriciorum nomine veniret.

probasse vidimus neque Livius etiam admisisse videtur, etsi tribunum ejus modi quid ad Patricios carpendos dicentem inducat, quia alio loco diserte Patricios ab ingenuis secrevit [1]), alio Patres ab honore Patriciosque progeniem eorum appellatos tradidit [2]). Ceterum, ne quis iniquius de Cincio me judicare putet, qui ob eximiam doctrinam saepius laudatur; satis erit Varronis inspexisse Etymologias ad dijudicandam, quantula antiquorum facultas in notationibus faciendis vulgo fuerit [3]).

Verba Livii, quae secundi argumenti materiam praebuerunt, in hanc sententiam interpretari malui. Gentem vos solos habere semper vociferamini, Patricios in sectans plebis tribunus ajebat, quasi anxie verba interpretando jus inani arrogantia tueri possitis. Nonne nos quoque gentes habemus atque parentibus liberis nati sumus? Quis enim credat, vos e coelo demissos in terram venisse purioris alicujus naturae participes? Immo vero, quam habetis nobilitatem a Romulo vobis ea concessa est, eamque ob causam per excellentiam gentem habere judicamini. In hoc igitur a cl. Hüllmanno dissentire liceat, ut gentem, quam illo loco familiam significare credo, non auspiciorum tantum ratione habitâ solos habere Patricios dicamus, sed nobilitatis gratia, quae ad magistratus gerendos et sa-

1) Liv. lib. 6. 40 Claudius loquitur „*An hoc, si Claudiae familiae non sim, nec ex patricio sanguine ortus, sed unus Quiritium quilibet, qui modo me duobus ingennis ortum et vivere in liberâ civitate sciam, reticere possim,*" reliqua.

2) Liv. lib. 1. c. 8.

3) Cl. Wachsmuthius pag. 184 causam notationis in eo invenisse sibi videbatur, quod vehementi odio clientes plebeji persequerentur: nos vero, ut infra videre licebit, clientes a plebejis diversos judicantes, eam admittere non potuimus.

cerdotia capienda requirebatur, quaeque Patriciorum tantummodo familiis initio propria fuit [1]).

Eadem familiae notione voci *gens* tributâ, auctoritatem illis locis negat cl. Hüllmannus, quos cl. Niebuhrius in tertio argumento pro re suà attulit. Sed hac interpretatione, etsi verissima sit, non egebimus, si ostendere potuerimus Gellii locum minus recte intellectum vel potius (sit venia verbo) datâ operâ separatis periodi membris distortum, aliter fuisse explicatum, quam nexus verborum sententiarumque postulat; tum etiam si demonstrare contigerit, Livium contrariam sententiam fuisse secutum.

En verba Gellii « *In populo omnis pars civitatis omnesque ejus ordines continentur: plebs vero ea dicitur, in quâ gentes civium patriciae non insunt.*"

Videmus, ut opinor, statim plebem h. l. tanquam partem populi considerari, scilicet eam, quae continet omnes civium gentes Patriciis exceptis. Non potuit igitur Niebuhrius inde probare Patricios solos cives fuisse, nisi omissa priore sententiae parte. Quid? quod *gentes civium patriciae* nominatae arguunt, alios etiam civium gentes fuisse, a quibus Patricias distingui necesse erat: alioquin epitheton illud non requirebatur. Livius certe haec verba Quinctium Consulem ad tribunum loquentem inducit « *scilicet si quis vobis humillimus homo de vestrâ plebe, (quam partem velut abruptam a cetero populo, vestram patriam peculiaremque rempublicam fecistis) si quis*" et quae sequuntur. Quo mani-

1) Hoc Livius indicare videtur dicendo „ *vos solos justum imperium et auspicium domi militiaeque.*"

feste docemur fuisse tempus, quo unus et concors esset populus Patriciis plebejisque constans.

Praeterea gentes plurimas plebejis et Patriciis constitisse familiis satis probavit cl. Hüllmannus 1), cujus quidem verisimillima conjectura esse videtur, gentes, quas nos tanquam sincere plebejas noverimus, in hunc statum venisse, quod Patriciae familiae interiissent; quod in quibusdam animadvertere liceat, quae in eo sint, ut cum unicâ familiâ residuâ ultimos gentiles Patricios amittant.

Connubium certe plebejis interdictum hujus rei causa haberi non potest; solis enim nuptiis gentilis fieri nemo poterat, sed requirebatur, ut heredium in agro gentis possideret; nec credere licet per paucos annos quum vetito connubio contentio gravissima plebejos inter et Patricios esset, vel paucos Patricios plebejas duxisse in matrimonium 2). Ipse Livius connubium ante legem Canulejam fuisse existimare videtur, quum dicat 3) « ***Quod privatorum consiliorum ubique semper fuit, ut, in quam cuique feminae convenisset domum, nuberet, ex quâ pactus esset vir domo, in matrimonium duceret, id vos sub legis superbissimae vincula conjecistis.*** caet.; quodsi utriusque ordinis cives nuptias inivissent, liberi semper patrem sequi solebant 4), et necesse non erat, ut vir Patriciae

1) Pag. 40 seqq.

2) Vid. Hüllmann pag. 47 et 261 seqq.

3) Lib. 4. c. 4.

4) Vid. Hüllmann pag. 262. Canulejus haec apud Livium lib. 4. c. 4. *Quid enim in re est aliud, si plebejam Patricius duxerit, si Patriciam plebejus? quid juris tandem mutatur? Nempe patrem sequuntur liberi.* Quae ideo rogare Canulejus cl. Göttlingio videtur, quod liberi eorum, inter quos connubium non esset, deteriorem semper partem sequerentur pag. 84. Quod vellem v.

gentis, qui plebejam duxisset, ė Patricio ordine egressus ad plebem transiret; inde sequitur, etiamsi concedatur, connubium inde ab initio inter utrumque ordinem non fuisse, explicari tamen non posse, qui fieri potuerit, ut tot familiae plebejae in gentibus essent. Vid. doct. V. d. Velden pag. 57.

Diximus supra peculiaria exstare virorum doctorum argumenta, quibus solis Patriciis civitatem vindicare studuerint, a curiis vero plebejos excluserint. Jam agite primum videamus, quae et qualia sint, quae Niebuhrius scripto mandavit.

Niebuhrius [1]) Labeonis verba apud Gellium lib. 15. c. 27 et Dionysii lib. 2. c. 8 confert, quorum ille « *Curiata comitia per lictorem, centuriata per cornicinem convocari solita fuisse,*" hic « *Patricios, quando regibus convocare videretur, per*

cl. me posse concedere. At vero longe aliud quid significare Canulejus videtur. Arrogantiam enim superbiamque Patriciis exprobraverat. *Cur, inquit, non sancitis, ne vicinus Patricio sit plebejus? ne eodem itinere eat? ne idem convivium ineat? ne in foro eodem consistat?* At vero, dicetis, hoc ridiculum est: quid nostra interest vos in foro versari eodem aut idem inire convivium? haec jus nostrum non minuunt; illa vero connubii communio polluit sacra, contaminat sanguinem nostrum — quasi, respondet tribunus, quasi aliud quid sit vobiscum iter habere commune ac connubium inter nos vosque constituere. Juris certe nihil mutatur; patrem sequuntur liberi. Itaque plebejus cum Patriciâ plebejos liberos procreat, Patricius cum plebejâ Patricios: ordines non miscentur, sacra suo loco manent, Patricia a Patriciis, plebeja a plebejis fiunt, nemo alterius juri nocet; sed vanitas ista vestra in hoc quoque manifesta est. Etiamsi nullum e promiscuo connubio detrimentum caperetis, tamen filias vestras nobis in matrimonium dare nolitis, quod nos deterioris naturae homines vel ne homines quidem putatis. Quae hic exposuimus a doct. etiam V. d. Velden probari gaudemus, quem vid. pag. 57. Patricios *Procos* etiam dici, quod cum plebe connubium non habeant, sed soli connubii sint participes, e Festi loco (quem vid. in voce *Procum Patricium*) injuriâ elicitur a cl. Göttlingio pag. 84. not. 2.

1) Tom. 1, pag. 351 seqq.

lictorem nominatim citatos, plebejos vero per cornicinem ad comitia fuisse vocatos" tradidit.

Utriusque effata idem significare videntur; ut Patricii Dionysii et comitia curiata Labeonis synonyma sint. At Dionysius regum mentionem facit, ergo plebeji a regibus convocati centuriatis Labeonis comitiis non respondent; quod videns vir acutissimus impedimentum removere conatur dicendo, Dionysium reges nominantem remotissimum a suâ aetate tempus significare voluisse [1]).

Argumenti etiam loco comparatio instituitur inter duos Livii et Dionysii locos. Livius memoriae prodidit, *loca in circo Patribus Equitibusque a Tarquinio Prisco fuisse divisa* [2]). Dionysius « *ab eodem triginta curiis singulis singula loca in circo fuisse distributa"* [3]). Ambo eadem de re loqui ei videntur; curiae igitur et Patricii ejusdem rei diversą nomina censenda [4]).

Gravissimum autem argumentum peti posse Niebuhrius existimat e comparatione locorum e Livio et Dionysio; quibus de auctoritate Patrum agunt, cum Ciceronis de lege curiata de imperio. Cicero enim narrat, reges in comitiis curiatis lectos, de suo imperio lege curiata populum consuluisse [5]), Livius vero *Patres decrevisse, ut cum populus regem jussisset, id sic ratum esset, si Patres auctores fierent* [6]), Dionysius tandem

1) Cl. Wachsmuthius inde jure hunc Dionysii locum attulit, ut Niebuhrii hypothesin everteret pag. 208.

2) Lib. 1. c. 35.

3) Lib. 3. c. 68.

4) Niebuhr tom. 1. pag. 352.

5) De Rep. lib 2. c. 13, 17 aliis.

6) Liv lib. 1 c. 17.

Patricios confirmasse, quae populus jussisset [1]).

Videntur igitur, inquit Niebuhrius, omnes eâdem de re loqui: quod apud Livium est *auctoritas Patrum* (quae vox hoc loco ut aliis permultis pro *Patricii* posita est [2]) Cicero *legem curiatam* vocat, Dionysius *Patriciorum confirmationem.* Eadem res, ab iisdem, in iisdem Comitiis peragitur; unde manifestum est, *populum*, quem Cicero consuluisse reges dicit, eosdem esse, quos Dionysius *Patricios confirmantes*, Livius vero *Patres auctores* appellat: deinde illam tam diu agitatam Patrum auctoritatem, quâ ad legem Maeniam ad confirmandas magistratuum electiones opus erat, nihil esse aliud, nisi legem curiatam de imperio.

Primum quidem argumentum a cl. Wachsmuthio ll., secundum ab eodem et doct. V. d. Velden satis jam refutata esse videntur [3]); de tertio igitur, etsi hoc etiam acriter dijudicaverint viri docti, pauca habeo quae dicam.

Etsi sublatâ opinione legem curiatam de imperio et Patrum auctoritatem idem significare, tota cadat

1) Lib. 2. c. 60.

2) Loci, qui hoc demonstrare videntur hi sunt. Liv. lib. 6. c. 42. L. Sextius primus e plebe Consul factus erat ,, *Ne is quidem finis certaminum fuit: quia Patricii se auctores futuros negabant, prope secessionem — res venit.*

Sallust. in orat. C. Licinii Macri tribuni plebis Ed. Cortii. pag. 827. *Virilia illa, quo — libera ab auctoribus Patriciis suffragia majores vestri paraverunt.*"

Dionys. lib. 6. c. 90. τοὺς πατρίκιους πείσαντες (sc plebeji) ἐπικυρῶσαι τὴν ἀρχὴν (tribunatum plebis) ψῆφον ἐπενέγκαντας et lib. 10. c. 4. ἃι φράτραι τὴν ψῆφον ἐπιφερουσιν.

Orat. pro domo c. 14. Ubi de Patriciis dicitur, si se sensim paullatimque plebejis arrogandos darent, rempublicam brevi Flamines, Salios caet. non habituram. ,, *Neque auctores centuriatorum et curiatorum comitiorum.*"

3) Wachsmuth. pag. 208. Van de Velden pag. 68.

Niebuhrii hypothesis, tamen in hac disputationis parte hoc ponamus, deinceps de illâ lege separatim agemus.

Quicumque igitur cl. Niebuhrii sententiam ad numeros vocaturus est, videre debebit, num verum sit, *Patres auctores*, apud Livium *Patriciosque confirmantes* Dionysii reverâ ad omnes Patricios referre possimus; quare locos a cl. Niebuhrio allatos accuratius consideremus, unde quid hac de re statuendum videatur, pateat.

Livius lib. 6. c. 42. narrat, Pâtricios auctoritate suâ Sextii, plebejiconsulis, creationem ratam facere noluisse. Praeter locos citatos multi in Livii libris inveniuntur, unde probari posse videtur, *Patres* et *Patricios* ejusdem saepius significationis esse vocabula: verumtamen adeo inconstans et parum accuratus in harum vocum usu scriptor ille deprehenditur, ut certo constituere non possis, *Patricios* apud eum semper totum Patriciorum ordinem significare. Ita v. c. lib. 4. c. 1, 6, 7 aliisque multis *Patres* pro *Patriciis* posuit, quique lib. 3. c. 55 *Patricii* vocantur mox c. 59 *Patres auctores* audiunt [1]); circumspiciendi igitur sunt alii loci, unde diserte sciamus, quid apud Livium *Patres auctores* valeant. Nec diu quaerendi illi erunt; libri statim primi c. 23. haec legimus, *regem populus jussit*, *Patres auctores facti: populus* h. l. de comitiis curiatis, nullisdum aliis institutis, *Patres* igitur de senatu dicuntur [2]), qui iidem senatores s. Patres c. 17 de-

1) Vid. cl. Wachsmuth pag. 337. not. 35. adde quos locos citat Hullmannus pag. 52.

2) Nimis manifeste, inquit Hüllmann, pag. 51. h. l. populus a Patribus distinguitur ratione magistratuum electionis et comprobationis habitâ, quam ut Patres de Patriciis explicares omnibus

crevisse dicuntur, *ut quum populus regem jussisset, id sic ratum esset, si Patres auctores fierent; hodieque in legibus magistratibusque rogandis usurpatur idem jus vi ademptâ.* Si igitur senatus Livii aetate usurpationem juris tantum retinuerat, ântea ipsum jus habuerit necesse est: ad eum igitur non ad Patricios omnes auctoritas illa pertinet [1]. Ceterum plebem in comitiis curiatis fuisse manifeste apud eundem dicitur lib. 1. c. 17. *fremere plebs multiplicatam servitutem, centum pro uno dominos factos, nec ultra, nisi regem et ab ipsis creatum videbantur passuri*, et cap. 20. *gratum plebi senatus consultum fuisse* legimus, quo sibi regis creandi copiam fieri videbant, ita, ut *id modo sciscerent juberentque, ut senatus decerneret, qui Romae regnaret* [2].

Nec Livio soli hoc persuasum fuit. Apud Dionysium quoqne *Patricii* de senatu non de ordine toto accipiendum. Testis sit lib. 2. c. 14. ubi populum in curiis *ἐξουσίαν ἀνεπίληπτον* habuisse negat: *ὅτι δὲ ταῖς πλείοσι δόξειε φράτραις, τοῦτο ἐπὶ τὴν βουλὴν ἀνεφέρετο* et sic in ceteris historiarum libris nunc Patricii, nunc senatus populi suffragia auctoritate suâ firmasse dicuntur. Duos tantum locos h. l. apponere liceat, qui extra omne dubium senatui auctoritatem sive comitiorum reprehensionem vindicant. Primus invenitur apud Dionys. lib. 4. c. 12, ubi Servius Tullius *ἁπάσαις δὲ ταῖς φράτραις κριθεὶς τῆς βασιλείας ἄξιος, πολλὰ χαίρειν τῇ βουλῇ φράσας, ἣ οὐκ ἠξίωσεν ἐπικυρῶσαι*

pag. 52. confert Liv. lib. 4. c. 49. *Nullum plebiscitum, nisi ex auctoritate senatus.*

1) Wachsmutbium ll. — Lectionem c. 17 quam secuti sumus, egregie defensam invenies apud Gronovium Observ. lib. 1. c. 25.

2) Hüllmann pag 51.

τὰ τοῦ δημοτικοῦ πλήθους, ὥσπερ αὐτῇ ποιεῖν ἔθος ἦν, κατέσχε τὴν ἀρχὴν. Populus ille, cujus suffragia senatus rata habere debuisset, maximam partem plebejis constabat; Patricii autem Servio irati h. l. intelligi non possunt: nec credendum qui Servium initio regni dignitate privare voluissent, eosdem tum tanto consensu eum regem salutasse [1]).

Alter est lib. 6 c. 90 ubi plebeji inducuntur τοὺς πατρικίους πείσαντες ἐπικυρῶσαι τὴν ἀρχήν, ψῆφον ἐπενεγκαντας et sic pergit Dionysius ἐπειδὴ καὶ τούτου παρ' αὐτῶν ἔτυχον, ἐδεήθησαν ἔτι τῆς βουλῆς κ. τ. λ. unde patet h. l. etiam *Patriciis* senatum significari; postquam enim exposuerat Dionysius, quid a senatu petierint plebeji, haec addidit λάβοντες δὲ καὶ τοῦτο τὸ συγχώρημα παρὰ τῆς βουλῆς κ. τ. λ. Itaque quod primo loco petierant, a senatu etiam accepisse censendi sunt, nempe suffragiorum approbationem [2]).

Etsi haec, ut spero, sufficient ad infringendam Niebuhrii disputationem, tamen breviter pro rei momento de Sallustii et auctoris orat. pro domo dictis disseramus.

Plebem apud Sallustium tribunus plebis adhortatur, ut tribuniciam potestatem a Sulla tantum non sublatam [3]) sibi restituant. Respicite, inquit, majorum res gestas, qui fortiter pro libertate suâ superbis cum Patriciis saepissime certamen inierunt. Tribunatum illi sibi eripi non passi sunt, sed omni operâ retinuerunt, postquam secessionem in montem sacrum factâ maximum illud libertatis propugnacu-

1) Vid. lib. 4. c. 14 et c. 8.

2) Cf. Hüllmann pag. 52.

3) Appian. bell. civ. lib. 1. c. 100. τὴν δὲ τῶν δημάρχων ἀρχὴν ἴσα καὶ ἀνεῖλεν, ἀσθενεστάτην ἀποφήνας.

lum sibi paraverant; quin immo Patricium consulatum, quum hac potestate ad perniciem suam abuti Patricios viderent, ad suos quoque deferri curarunt, ut communicato magistratus jure injuriae metus abesset. Sed non licuit hac medelâ defungi fortibus illis viris; libera ab auctoribus Patriciis suffragia libertati adhuc deesse videntes et hoc privilegium oppressoribus suis auferre non cunctati sunt.

Loquitur tribunus ad plebem, memorat quae plebeji Patriciis jam ademerint: inde *Patricium* magistratum commemorat et *Patricios* non *Patres* comitiorum auctores, quod ordinum certamina significare et quomodo sensim paullatimque ad aequalem auctoritatem plebeji pervenerint auditoribus exponere voluit.

Praeterea observandum, Patricios ad saeculum quartum dimidiatum solos in senatu fuisse et majorem senatus partem eo tempore de quo Sallustius sermonem fecit (nempe anno 412 u. c. quo lex Publilia lata est) Patriciam remansisse: inde Patricii tanquam per excellentiam senatum efficientes considerabantur eorumque nomen pro senatu usurpare perrexerunt, etiamsi plebeji etiam in eo concilio essent. Ita v. c. Patricii universe Interreges prodidisse apud Livium dicuntur, quamvis e Dionysio constet [1]) a senatoribus Patriciis hoc fuisse factum. Patricii quoque apud Livium auctoritatem suam Liciniis rogationibus se daturos esse negant, etsi e comparatione eorum, quae hac de re Livius et Plutarchus tradiderunt, efficere liceat, Patricios tantum senatores, partem adeo senatus tribunis plebis fuisse adversatam [2]).

1) Lib. 11. c. 62.
2) Vid. Wachsmuth. II. locus Livii invenitur lib. 6. c. 42.

Restat, ut orationis de domo locum accuratius tractemus. Veretur orator, ne Respublica, procedente tempore, sine auctoribus centuriatorum et curiatorum comitiorum sit futura, si Patricii alius post alium plebejis arrogandus sese dederint.

Niebuhrius haec verba ad Patrum auctoritatem spectare opinatur; quae post suffragia lata dari solebat: Wachsmuthius contra auspiciorum causâ eadem h. l. esse posita; quem v. cl. utpote certiorem ducem sequi malo.

Sacerdotes autem prius commemorantur, quos creare non amplius liceret, si auspicia exstincto ordine Patricio exiissent, quod si fieret Rege sacrorum, Flaminibus, Saliis reliquis fere omnibus sacerdotibus careant cives necesse esse dicit orator, quoniam Patricii soli jure auspicia habere videbantur. Etenim, quamquam lege Ogulniâ auspicia plebeji etiam habere existimabantur, tamen Patricii ex ordinis sui jure soli legitime iis uti posse visi sunt, quibus sublatis ea tollerentur etiam.

Auspicato centuriata curiataque comitia haberi solebant, propriumque illud tributorum, in quibus plebeji regnabant, censet Dionysius, quod auspiciis ibi locus non esset [1]). Nota velut characteristica Patriciorum auspicandi jus censebatur, adeoque olim cum Patriciâ origine quasi concretum, ut quos po-

Comitia nobilitate adversâ habentur, Plutarchi in Camillo c. 42. Itaque cum Niebuhrio v. cl. pag. 35 et 36 tom. 3. Livii verba lib. 6. c. 42. *factum senatus consultum, ut Patres auctores omnibus ejus anni comitiis fierent.* non ita sunt explicanda, quasi ipsius senatusconsulti verba h. l. Livius descripserit: significat enim suis verbis, quid in senatus consulto fuerit; quare vocabulum *ut* non jussum senatus Patriciis curiis datum indicat. Vid. Wachsmuth. ll.

1) Dionys. lib. 9. c. 41.

pulus crearet Patricios magistratus, non aliter quam auspicato creaverit, et plebejus magistratus nullus auspiciis inauguratus sit; immo vero Patricii sine suffragio populi auspicato Interregem proderent et privatim auspicia haberent, quae plebeji ne in magistratibus quidem habere possent [1]).

Quis tandem hisce perceptis miratur, quin diu etiam post communicatum cum plebe jus auspicandi, ea opinio in hominum animis defixa manserit, Patricios solos auspiciorum capiendorum facultatem possidere? Hoc sensu auctores comitiorum dicuntur Patricii, quippe qui ad ea inauguranda necessarii haberi solerent, eamque ob causam post memorata sacerdotia comitiorum auctorum mentionem fecit auctor, ut indicaret, quam magna esset eorum dementia, qui, quum arrogatione facta ad plebem transirent, non cogitarent religionem non tantum se sed et politicum rei publicae statum eversuros. Qui enim tolleret Patricios tolleret etiam sacerdotes, tolleret comitia, quae sine Patriciis auspiciis nulla esse poterant [2]).

Longus fierem, si reliqua argumenta traderem, quae viri docti ad Niebuhrii hypothesin infringendam excogitarunt: qui ea ordine enarrata legere cupit, adeat doct. V. d. Velden librum de comitiis pag. 58 seqq., ubi de quibusdam Livii locis, in quibus populus Patricios solos significare videtur et

1) Liv. lib. 6. c. 41.

2) Cf. Wachsmuth pag. 337. not. 35. Eodem modo explicandus locus Livii lib. 6. c. 41. *Non leges auspicato ferantur, non magistratus creentur, nec centuriatis nec curiatis comitiis Patres auctores fiant.* Gronovius locum pro domo de ratihabitione suffragiorum accepit Observ. pag. 199.

de formulis *populo plebique Romanae* disputatur; quem virum unice verum vidisse arbitror [1]).

Attamen quominus liceat iis, quae jam dicta sunt, defungi fecit cl. Göttlingius, qui Niebuhrii hypothesin fulcire novisque quibusdam argumentis additis tueri conatus est. Praeter argumenta e connubio, quod plebem inter et Patricios ante legem Canulejam fuisse negat, atque e Livii verbis *vos solos gentem habere* petita [2]) de quibus jam vidimus, haec a viro clarissimo allata sunt.

Primo loco, inquit, inter argumenta, quae probant Patricios solos curiarum fuisse participes, recensenda lex curiata, quâ Ciceronis etiam aetate, quicunque e Patribus ad plebem transire vellet, ex ordine suo dimittitur. Argumento autem esse Dionem Cassium, qui libro 39. § 11 narret, *Ciceronem effecisse, ut Clodii tribunatus illegitimus haberetur, quod lex curiata, quâ e Patriciorum numero ad plebem transiisset, non praescripto tempore esset lata* [3]).

Dionysius, ait, (idque secundum ejus est argumentum) curiata comitia Patricia vocat, quam rem e Dionysii lib. 4. c. 76 et 78 probare sibi visus est. eique aliud addidit argumentum e Livii lib. 5 c. 46 petitum, quo loco de lege curiata loqui ille scriptor

1) Cf. Strasser § 37 - 41. Hüllmann pag. 48, 49 et 52 — 55. Wachsmuthi pag. 208, de cl. Schulzii argumentis vid. V. d. Velden pag. 49 - 54.

2) Göttling pag. 224.

3) Verba Dionis Cassii haec sunt. *τὴν γὰρ εἰσφορὰν τοῦ Φρατριακαῦ νόμου, παρ᾽ ἣν ἐκ τῶν εὐπατριδῶν ἐς τὸ πλῆθος ἐπεπόιητο διαβάλλων, ὡς οὐκ ἐν τοῖς ὡρισμένοις ἐκ τῶν πατρίων χρόνοις ἐκτεθέντος αὐτου, τὴν δημαρχίαν — κατέλυεν.* Cf. Orat. pro domo c. 14. Dio Cassius lib. 37. § 51 a doct. V. d. Velden citatis pag. 85.

v. cl. videbatur, *quae sine ullâ plebejorum operâ orta sit (Die ganz ohne Zuthun der Plebejer entstanden ist)* [1]); de quibus argumentis quaedam in medium proferre lubet, quippe quae cum antiquorum testimoniis plane non convenire videantur.

Lex igitur curiata, de quâ in primo argumento sermo est, Patriciorum propria non est dicenda, sed uniuscujusque, qui se arrogandum dare cuperet. Etenim ideo non erat lata, quod Patricius ad plebem transiret, sed quod plebejus Clodium arrogasset, quam arrogationem lego curiatâ ratam fieri necesse erat, ut ab eodem Dione accepimus, qui de Caesare Octaviano τὸν νόμον, inquit, τὸν Φρατριακὸν ἐσφερόμενον, καθ᾽ ὃν τὴν ἐσποίησιν αὐτοῦ τὴν ἐς τὰ τοῦ Καίσαρὸς γενέσθαι ἔδει — διὰ δημάρχων τινῶν ἀνεβάλλετο scilicet Antonius 2), unde quum v. cl. opinio manifeste refutetur, ad alterum argumentum, priore dimisso, accedere potero.

Dionysii loci saepius lectitati versatique nihil ejus modi continere videntur, contra licet dolendam ad persuasionem me duxere, aut me non intelligere, quae tandem verba significentur, aut parum accurate locos illos v. cl. inspexisse.

Verba capitis 76 haec esse videntur Ἀναβὰς ὁ Βροῦτος ἔνθα τοῖς συνάγουσι τὰς ἐκκλησίας δημηγορεῖν ἔθος ἦν, καὶ τοὺς πατρικίους παραστησάμενος κ. τ. λ.

Sermo est de Bruto post Lucretiae mortem, adducto cadavere sanguinolento, verba ad populum faciente et narratur, conjuratos Bruto auctore jussisse, ut δῆμος convocaretur. Jam sic pergit Dionysius ὄχλου δέ συναχθέντος, οὐ μόνον τοῦ κατ᾽ ἀγορὰν τότε

1) Göttlingii argumenta inveniuntur pag. 223.
2) Lib. 45. § 5. Cf. Xylandrum ad lib. 39. § 11.

ὄντος, ἀλλὰ καὶ τοῦ κατὰ τὴν πόλιν ὄλην — ἀναβάς κ. τ. λ. Multitudo, ὄχλος, convocatur. Illudne conveniens Patriciis nomen? quos Patres ab honore vocatos accepimus, eosdem multitudinis nomine appellatos putemus? Non videtur consentaneum, nec Dionysius hoc nomine accusandus: populus et Patres h. l. distinguuntur, sibique opponuntur. Δῆμος ad comitia jam confluxerat, eoque congregato Brutus τοὺς πατρικιόυς παραστησάμενος, adstantibus Patriciis concionatur. Igitur non Patricios ὁ δῆμος significat, sed plebejos.

Nec aliter capienda verba quae c. 78 exstant Ταρκύνιον, inquit Brntus, ἀφελέσθαι τὴν ἐξουσίανβε βουλεύμεθα νῦν συνελθόντες οἱ πατρίκιοι. Unde magis etiam probabitur plebejos maximam populi partem effecisse, qui ad comitia convenerat. Loquitur enim Brutus ad eundem populum, in iisdem comitiis, quorum mentio c. 76 erat illata, explicatoque primum, qui fieri posset, ut is, quem brutum antea et vesanum fere vidissent, nunc sana verba ad eos faceret, c. 78 jam, inquit, de publicis et communibus rebus agamus, quarum causâ vos ad concionem convocavimus, nos Pâtricii. Ex his igitur jam manifeste patet, verba illa νῦν συνελθόντες οἱ πατρίκιοι non ad totum populum referenda esse, sed ad Brutum adstantesque Patricios, qui mandata senatus pro concione exponunt [1]; sed mirum sane accidere debet v. cl. non vidisse, paullo infra suum effatum omnino everti. Nos autem, inquit Brutus, nos Patricii tempus modo Tarquinii ejiciendi opportunum exspectavimus, nunc vero, quum datum sit, vos

1) Brutum *senatus* exequi mandata efficitur e Dionysii lib. 4. c. 84, uti animadvertit Niebuhrius tom. 1. pag. 542. not. 1144.

etiam *ὑμᾶς τ' ὦ δημόται συνεκαλέσαμεν, ἵνα — συναγωνιστὰς ἀξιώσωμεν ἡμῖν γενέσθαι, πράττουσι τὴν ἐλευθερίαν τῇ πατρίδι κ. τ. λ.* Quibus lectis, quis dubitet, quin plebejos significaverit? sed ut omnis dubitatio eximatur ad alium locum in eâdem Bruti oratione animum advertamus.

Postquam orator teterrima facinora, quae in cognatos edidisset Tarquinius, enumeraverat c. 80 ad ea venit, quae in omnes cives rex perpetravisset. *παρανομίας — τὰς εἰς τὴν πατρίδα καὶ πάντας ἡμᾶς ἐπιτελεσθέισας.* Pergit inde modum enarrando, quo ad regnum pervenerit rex ille nefandus, quem ad modum solennia omnia neglexerit, senatus auctoritatem, populi potestatem, legum et anspiciorum sanctitatem pro nihilo aestimaverit, suâque potestate fuerit abusus. Haec, ait, nostri communia fuere: de utriusque vero ordinis calamitatibus dicturus (cap. 81) non diu nostris Patriciorum malis (*ἡμετέρας τῶν πατρικίων συμφορὰς*) immorabor, ad vestras, *ὦ δήμοται* attendite quaeso, *ἀλλὰ τὰ ὑμέτερα πράγματα πῶς ἔχει;* eumdemque illum populum ad quem Brutus verba fecerat, comitiis curiatis, Tarquinium in exilium sempiternum suffragiis misisse ex eodem Dionysio c. 84 accepimus.

Difficile mihi visum est, de tertio argumento disserere, quum me non intelligere fateri debeam, quid sibi voluerit v. cl. dicens, Livium de lege curiatâ loqui, *quae sine ullâ plebejorum operâ orta sit.* Nam si Livii cap. 38 et 40, quae comparanda et conferenda cum cap. 46 monet, inspiciamus, manifestum fit, legem illam pro virili parte plebejis originem suam debuisse. Capite enim 38 fuga Romanorum partim Vejos, partim Romam se

recipientium describitur, capite autem sequenti et 40 ita constituisse cives traditur, ut senatus et juventus militaris Capitolium occupatum defenderet: caeteram autem turbam, *maxime plebis*, urbem reliquisse et Janiculum petiisse, unde pars per agros dilapsa, pars ad urbes finitimas profecta sit. Magnum quoque numerum ex iis, qui a proelio adverso ad Alliam, aut clade captae urbis palati fuissent [1]) Vejos se recepisse, quibus omnibus centurio quidam, Caedicius nomiue, praefuerit, quem sibi ipsi elegissent.

Hi igitur, ut vidimus magnâ parte plebeji a Latinis auxiliariis adjuti, consilium urbem liberandi capientes Caedicium imperatoriâ potestate ornari voluisse dicuntur, quo tamen negante, se commissarum, cur sibi postea deorum aut hominum quisquam imperium finiret — quippe qui ad tam magnum honorem propter ordinem suum âdspirare non auderet — in Camillum oculos vertere coeperunt. Videtur igitur — ut hoc obiter moneam — videtur ipse Caedicius plebejus fuisse, quum enim Deorum mentionem faciat, auspicia significare videtur, quorum capiendorum jus non habeat.

At vero Camillus fines transgredi sine senatus populique concessu non poterat et ut dictatoriam potestatem exerceret, senatus consulto opus erat, quod curiarum suffragia praecederet. Romam igitur ire ausus est juvenis quidam Pontius Cominius, cui res optime cessit. Consulto senatu, decretum fit, ut Camillus de exilio revocaretur et dictator diceretur a populo comitiis curiatis. Reversus ad suos Cominius senatus consultum detulit, e cujus aucto-

1) Liv. lib. 5. c. 46.

ritate res, ut convenerat, peracta est. Quid, quaeso, plebeji amplius facere jure potuerunt?

Sed ex hoc loco, num demonstrari possit, plebejos in curiis non fuisse, judicent harum rerum peritiores; plures antiquorum loci, quos jam perscrutati sumus contrarium diserte declarant [1]), quocirca satis de hisce egisse nobis videmur et finem huic disputationis parti imponemus propositis duabus quaestionibus, quarum Wachsmuthius v. cl. auctor fuit [2]) quasque haud facile solituri esse videntur, qui plebejos a curiis excludere solent, nempe, quae causa fuerit, cur Patricii curias convocarent, quum plebem eo adducere vellent, ut Tarquinium Superbum in exilium mitterent et cur consulum electionem a curiatis comitiis ad centuriata traduxerint, si in iis tantum valerent?

Ab ordine plebis rite distinguendi sunt clientes, quibus peculiarem conditionem plurimi viri docti tribuere solent [3]). Niebuhrius tamen et Göttlingius viri cl. contra antiquorum testimonia — quibus inde ab initio clientes a plebejis separantur — a Tullo

1) Vid etiam Dionys. lib. 3. c. 29 Tullus ad Albanos. *καὶ τὸ μὲν ἄλλο πλῆθος ὑμῶν μετὰ τῶν παρ' ἡμῖν δημοτικῶν συντελεῖν εἰς Φυλὰς καὶ Φράτρας καταμερισθέν, κ. τ. λ.*

Lib. 6. c. 89 Plebeji, qui in montem sacrum secesserant, conveniunt ad tribunos plebis creandum *νεμεθεὶς δ' ὁ δῆμος εἰς τὰς τότε οὔσας Φρατρίας, ἢ ὅπως βούλεταί τις αὐτὰς προσαγορεύειν, ἃς ἐκεῖνοι καλοῦσι κουρίας κ. τ. λ.* Cf. Dionys. lib. 9. c. 41 et lib. 9. c. 46, ubi cum cl. Reiskio An. 1870 ad h. l. legendum *ὃς οὐκ ἔτι τὴν κουριάτην ἐκκλησίαν, ἀλλὰ τὴν Φυλετικὴν ἐποίει κ. τ. λ.* Cf. Aurelius Vict. de Vir. Ill. c. 2. *Tres Equitum centurias instituit* (sc. Romulus) — *plebem in 30 curias distribuit.*

2) ll. pag. 208.

3) Niebuhr. tom. 1. pag 617. Hüllmann pag. 37. Göttling pag. 126.

demum Hostilio vel Anco Marcio plebejos in civitate fuisse putarunt [1].

Utriusque Dionysii Liviique historiarum libri (etsi uno loco Livius in errorem prolapsus sit [2]) referti sunt testimoniis, quae satis superque docent, plebejos antiquos a clientibus fuisse diversos [3], quocirca ne Ciceroni quidem fides habenda, qui Romulum plebem in clientelas principum descriptam habuisse opinabatur [4].

1) Niebuhr. tom. 1. pag. 372. Göttling. pag. 129, qui eos erroris arguit Dionysins est lib. 2. c. 62. Ἅμα δὲ τῷ τὴν βουλήν διαστῆναι, καὶ τὸ τῶν πελατῶν πλῆθος διχῆ μερισθέν ἑκατέρᾳ συνέβαινε τῶν στάσεων· ἦν δὲ τι τοῦ δημοτικοῦ μέρος οὐκ ὀλίγον et paullo infra τους ἀπόρους τῶν δημοτῶν. Unde Göttlingii etiam cadit conjectura, quae clientes nsqne ad Tullum Hostilium plebejos vocare snadet, quo nomine Cicero et Dionysins usi fuisse ei videbantur. Cf. Eyssonius Wichers de Patron. et Client. Rom. pag. 25 et 26.

2) Liv. iib. 6. c. 18 Manlins ad plebem „ *Quot clientes circa singulos fuistis patronos.*

3) Niebnbr. tom. 1. pag. 617 seqq. locos quosdam hic addere liceat. Liv. lib. 2. c. 15. *Infensa erat cuorta plebs. Tentata res est, si dispositis clientibus, absterrendo singulos a coitionibus conciliisque, disjicere rem possent. Universi deinde processere caet.* Liv. lib. 2. c. 56. *Rogationem tulit (Volero) ad populum, ut plebeji magistratus tributis comitiis fierent — res — quae Patriciis omnem potestatem per clientium suffragia creandi, quos vellent, tribunos auferret.* Dionys. lib. 6. c. 63. τους πελάτας ἅπαντας ἐπαγώμεθα, καὶ τοῦ δημοτικοῦ τὸ περίον. Quae contra hos locos et pro clientinm plebitate doct. Wichers ll. pag. 21 - 31 disseruit in ejns opinionem me non traduxerunt. Ceterum ad Niebnbrii opinionem firmandam, egregie conducere videntur, qnem snpra laudavi, Dionysli locus lib. 2. c. 62 qui ad regum tempus pertinet atque alins ejusdem anctoris lib. 7. c. 14 a Niebnbrio citatus, nbi haec leguntur: ἐκ τῶν πατρικίων ἐθελοντάι τινες κατεγράφησαν ἅμα τοῖς πελάταις. καὶ αὐτοῖς ὀλίγον τι ἀπὸ τοῦ δήμου μέρος συνεστράτευσεν.

4) Cic. de Rep. lib. 2. c. 9. Aliter cl. Hüllmannus pag. 36 accepit, pntat enim haec verba significare, gentes plebejas inter clientes et Patricios dispersas in agris gentium habitasse. Plntarchns Rom. c. 13 cnm Dionysio et Cicerone consentit.

Doctissimus Van de Velden cum Niebuhrio in eo facit, ut populum initio patronos et clientes tantum complexum fuisse opinetur, sententiae hoc professus argumentum, *fuisse hunc statum rerum publicarum Italicarum ejus aetatis proprium.* Patronatum vero non a Romulo institui potuisse existimat, sed principes Romuli sodales habuisse secum clientium turbam, antequam ad eum venirent, in quorum clientium numerum advenas retulerit; unde jure dicere potuisse Ciceronem, *Romulum plebem in principum clientelas descriptam habuisse.*

Sabinorum quidem Patres post bellum cum Romanis finitum in Patriciorum ordinem, clientes vero non inter ingenuos cives fuisse relatos arbitratur, sed in quâ adhuc fuissent conditione remansisse. Romulum tamen ab eâ viâ digressum aliam inivisse rationem et populos a se victos, si sibi ipsi agros comparassent aut ab illo accepissent, in curias et gentes retulisse atque ita reliquos reges, Albanos, Tullum, Latinos Ancum accepisse in civitatem et cives ingenuos, ita ut gentes peculiares efficerent, non gentium familiis adjungerentur singuli 1).

His vero opinionibus quominus subscribere possim, facit diversa, quam credo, urbis Romanae origo. Göttlingium secutus ex Albâ primos urbis incolas repetii, non inconditam vagantemque multitudinem, sed ordinatam quodammodo et legibus patriisque institutis assuetam, quae secessione in montem Palatinum factâ ad metropolis normam sese suamque civitatem constituerit, admixtis novorum Etruscorum et Sabinorum civium institutis.

1) Vid. doct. V. d. Velden pag. 69 et 147. Strasserum, quem secutus est, pag. 23 seqq.

Non possum igitur credere, adeo viles fuisse Romuli illos sodales, ut libertate carentes maximâ parte in paucorum quasi dominationem fuerint traditi: nec assequi possum, qui fieri potuerit, ut principes illi e peregrinis ad Romulum cum clientibus suis confugerint, inconditae fugitivorum et vilium hominum multitudinis principem.

Praeterea plebis ordinem serius demum institutum putare non possum, reputans familias plebejas inter Patricias ejusdem gentis fuisse, quae quomodo in gentem Patriciorum irrepsissent me non intelligere fateor. Etenim, ut supra monuimus, cognatorum familiis gentes compositae fuisse nobis videntur, ut familiae Patriciae plebejaeque ejusdem nominis unam gentem efficerent et imparibus nuptiis ante connubium inter Patres et plebem adscribere non licet.

Quem ad modum igitur non concedimus plebejos ab initio civium partem non effecisse, ita eorum non sequimur sententiam, qui clientes a plebe diversam conditionem jam statim habuisse negant, quum tanta eorum, it diversitas, ut clientes multo inferiores plebejis videantur eorumqne conditio ad servi magis, quam ad liberi hominis statum accedat, de quâ nunc erit disserendi locus.

§ 3.

DE CLIENTIUM, PLEBEJORUM, PATRICIORUM CONDITIONE ET TRIBUUM DISCRIMINE.

Quomodo clientela exstiterit propter antiquorum silentium definire perdifficile est. Verisimilis tamen

Niebuhrii et Hüllmanni [1]) opinio, e belli jure ejus originem esse repetendam: non quasi Romuli tempore subactus aliquis populus id jugum suscipere fuerit coactus; ex Albâ enim Romulus caeterique principes cum clientibus nobis venisse videbantur, plebejis quoque multis secessionis sociis sequentibus, qui omnes conditâ urbe in eâdem conditione vivere perrexerunt, in quâ Albae prius fuerant [2]). Accessere deinde multi peregrini, quorum pars clientibus jure applicationis [3]), alii plebejis additi videntur: uti enim animadvertit cl. Wachsmuthius, sublatâ opinione, quae Romulum patronatus facit auctorem, fateri cogimur, liberos quoque plebejos in civitate fuisse ex iis, qui e vicinis ad Romanos transiissent, quum minime ad patronum deligendum omnes coacti fuisse videantur [4]).

Ex pancis, quae ad nos pervenere, antiquorum testimoniis clientes nobis innotuere tanquam homines libertate carentes, qui e patronorum arbitrio pendentes, nec connubium nec commercium cum civibus habebant, quorum contractus et lites a patronis agi fierique debebant [5]), quique cum clientibus tantum ejus gentis, ad quam pertinerent,

1) Niebuhr. tom. 1. pag. 340. Hüllmann pag. 31 seqq.

2) Plebis ordinem Albae quoque fuisse inde suspicor, quod rex ibi esset perpetuus, quae dignitas in civitate, ubi principes et clientes potissimum essent, admitti aegre solebat. vid. v. c. de Etruscis Liv. lib. 5. c. 1.

3) Cicero de orat. lib. 1. c. 39, apd. Niebuhr. tom. 1. pag. 340.

4) ll. pag. 187.

5) Quo nomine patroni pro clientibus praesentibus absentibusque causas suscipere potuerint, quum secundum jus antiquum ambo litigatores in judicio praesentes esse deberent, vid. Arntzenium Act. Societ. Traj. tom. 1. pag. 121 seqq. Cf. Eyss. Wichers ll. pag. 43 - 46. Mercedem pro patrocinio non accipiebant patroni. vid. eundem pag. 46 seqq.

nuptias inire poterant: qui opibus [1]) viribusque patronos juvantes, multis officiis muneribusque praestandis obnoxii, ut verbo dicam, in nulla fere re sui juris fuisse dici possunt [3]).

Sunt etiam, qui putent judicia patronos in clientes exercuisse, quod uti in quibusdam delictis facile concedam, reputans in filios etiam magnam potestatem patres Romanos habuisse, ita in iis, quae ad privatam patronorum rem non pertinerent idem locum habuisse concedere nequeo, quum videam Dionysium docere « *non licuisse aut patrono aut clienti in judiciis se invicem accusare aut adversus se invicem exhibere testimonium*" [4]). Quod interdictum quo spectasset, nisi fieri posse existimassent, ut res clientis et Patricii hominis coram eodem judice agerentur: aut apud quem patronus clientem accusasset, cujus ipse judex esset legitimus? Sed vel sic tamen, quamvis patronorum jurisdictioni non omnino essent submissi, nimis eorum injuriis expositi clientes fuissent, nisi jam Romulus lege latâ sanxisset, ut, quicunque patronus clientem laederet aut in officiis erga eum praestandis esset negligens Diti sacer haberetur, ut impune occidi posset, eâdem poenâ ejusdem delicti clientibus propositâ [5]). Nomen gentile patronorum clientes assumsisse videntur; M. Claudius saltem, qui Virginiam in servitutem asserere studuit, Ap. Claudii decemviri cliens fuisse dicitur [6]), unde ad gentem

1) De hoc clientium munere vid. Eyss. Wichers ll. pag. 46-51.

2) Vid. Dionys. lib. 3. c. 10. Plutarch. Rom. c. 13.

3) Hüllmann pag. 35.

4) Dionys. ll. Cf. Eyss. Wichers ll. pag. 41 et 42 et pag. 52 et 53.

5) Dionys. ll.

6) Dionys. lib. 11. c. 28. Liv. lib. 3. c. 44. Cf. Göttling. pag. 128.

pertinuisse et sacra cum gentilibus communia habuisse videntur, quoniam libertini quoque eorum essent participes [1]), etsi certe id affirmare animus dissuadeat, quum argumenta, quibus clientium gentilitatem probare sunt conati viri docti ad liberae reipublicae tempus pertineant.

Haec igitur jura privata probabiliter clientibus adscribi possunt: unde tamen eos publicorum item fuisse participes non facile effecerim et nominatim ad comitiorum suffragia eos aegre admiserim, hisce potissimum rationibus ductus [2]).

Apud Dionysium Patricios Servio Tullio vehementissime adversari videmus, libertinos, quos ad gentem pertinuisse verisimile est, in cives recipienti [3]); clientes igitur, qui fere ejusdem conditionis erant, valde dubito, quin sub prioribus regibus in civium numerum sint admissi, tum etiam, quin is, qui non aequo jure gentibus esset adscriptus et sacrorum privatorum particeps, publicorum etiam sacrorum honore dignus fuerit judicatus, quum non suo sed clientelae jure a privatis non excluderetur [4]).

1) Niebuhr. tom. 1. pag. 341 et Göttling pag. 128. Sed vereor, ut satis certe e loco Dionysii lib. 9. c. 19 effici possit, sacrorum gentiliciorum participes eos fuisse.

2) In contrariam sententiam abeunt Niebuhr. tom. 1. pag. 349. Hüllmann pag. 35 seqq.

3) Dionys. lib. 4. c. 22 seqq. Cf. Plut. Poplicola c. 7 et Eyss. Wichers ll. pag. 36.

4) Cl. Strasserus pag. 58 seqq. Civitatem ex agri possessione pependisse putat, quod qui in tribus et curias reciperetur agrum etiam accepisse dicatur. Inde tamen non sequitur clientes in comitiis curiatis suffragia tulisse, quod a patronis agrum acciperent: nam primum, ut opinor, requirebatur etiam, ut sui juris homo esset, qui civis fieri vellet, deinde agrorum illa distributio a patronis facta res erat privati arbitrii; nec patroni e publicâ auctoritate senatorio jure agros clientibus dabant; nam Dionysius non senatores, sed Patricios universe patronos fieri potuisse lib. 2.

Accedit, quod antiquorum locos, qui comitiis clientes interfuisse arguere videntur, dubiae fidei esse existimo. Dionysii enim auctoritate fretus Patricios in comitiis clientelarum auxilio valuisse facile crederem, qui lib. 2. c. 10. clientium officia recensens affirmat, clienti non licuisse adversus patronum ferre suffragium (οὔτε ὅσιον οὔτε θέμις — ψῆφον ἐναντίαν ἐπιφέρειν) quippe quod cum divinis humanisque legibus pugnare videretur; nisi locus, ubi haec leguntur, inter eos esset referendus, quibus plebeji et clientes permutantur. Dionysium autem eo loco in errore versari supra jam annotavimus, quum plebejos primos omnes clientes fuisse arbitretur, nec accurate distinguat, quid utriusque ordinis fuerit proprium: unde et hâc in re ad antiquissima tempora eum retulisse suspicor, quod posterioribus adscribere debuisset. Nec firmius argumentum e Livio, lib. 2. c. 56. capi posse opinor, ubi Patriciis, traditur, lege Publiliâ anno u. c. 282. potestatem omnem fuisse ereptum, quos vellent, tribunos per clientium suffragia creandi [1], qui, ut e Dionysio accepimus, in curiatis comitiis prius creabantur [2]; etenim quod liberâ republicâ obtinuit, quin primis item urbis temporibus jam factum esse jure contendere possimus, valde dubito. Quod si regibus regnantibus clientes comitiis interesse potuere, qui tandem S. Tullius, Patriciorum inimicus, omnium curiarum suffragiis rex declarari potuisset, quo

c. 29 tradit. Si senatoribus tanquam administris usa esset Respublica, per quos agri ad clientes pervenirent, non illi sed rex eorum patronus legitimus fuisset, quippe qui reipublicae caput haberetur et civitatis nomine ageret.

1) Cl. Wachsmuth. ll. Hüllmann pag. 31.

2) Cf. Strasserum ll. § 39.

tempore et numero et audaciâ minus valuisse plebem accepimus, quis dubitat, quin conati saltem essent per clientium auxilium regiam ei eripere potestatem, id quod non fecisse videntur, et potius comitiis non interfuisse, quorum suffragiis cedere debuissent? Argumento contra mihi est ille locus, procendente tempore ad meliorem conditionem clientes pervenisse.

Hisce igitur omnibus, quae de clientibus disputavimus, consideratis, magis, ut Göttlingium sequar, inclinat animus, qui eos a tribubus, curiis, gentibus excludere maluit, ita, ut qui alicujus gentis Patricium patronum nactus esset, ad eam gentem pertinere censeretur, ejus nomen gereret sacrisque interesset, ceteroqnin tamen a legitimis gentilibus distingueretur; idem Göttlingius procedente demum tempore, liberâ republicâ, aditum ad comitia iis patuisse putat [1]).

Clientibus igitur plebejisque suum cuique ordinem tribuimus jure alterum alteri praestantem et jam ab initio plebejos in civitate liberos fuisse statuimus qui agris regis beneficio acceptis cives, in tribus et curias relati, gentiliciorum publicorumque sacrorum participes, in comitiis curiatis cum Patriciis suffragia ferrent; quae comitia, quasi regnum plebejorum habenda sunt, quoniam numero suffragiorum Patriciis praestare solebant et ἰσόψηφοι erant omnes [2]).

Dionysius, qui accuratius ordinum jura percenset, tradit populi in comitiis haec fuisse munera lib. 1.

1) Vid. Göttling. pag. 128 et 130.

2) Vid cl. Strasserum II. 536. Livius lib. 1. c. 35. ubi haec leguntur. „*Et orationem dicitur habuisse ad conciliandos plebis animos compositam*" sc. Tarquinius Priscus regnum petens.

c. 20. ἀρχὰς ἀποδεῖξαι τάς τε κατὰ πόλιν καὶ τὰς ἐπὶ στρατοπέδου, καὶ νόμους τούς μὲν ἐπικυρῶσαι, τοὺς δὲ ἀνελεῖν, καὶ περὶ πολέμου συνισταμένου τε καὶ καταλυομένου διαγνῶναι et accuratius etiam vis hujus potestatis definitur lib. 2. c. 14. ubi τῷ δὲ δημοτικῷ πλήθει τρία ταῦτα ἐπέτρεψεν, ἀρχαιρεσιάζειν τε καὶ νόμους ἐπικυροῦν, καὶ περὶ πολέμου διαγινώσκειν, ὅταν ὁ βασιλεὺς ἐφῇ κ. τ. λ. Igitur penes regem praesertim erat, quantum comitiis valeret plebs, atque ejus potestas magna quidem fuit, sed occasio et opportunitas eorum jurum exercendorum sui non erat arbitrii.

Quo magis igitur rex eorum causam ageret et ipse adversus principes Patricios posset, eo major plebis potestas esse debuit. Verumtamen non e regis tantum tutelà plebs pependit; senatus quoque impedimento esse poterat, quominus libere res suas constitueret. Enumcratis autem plebis muneribus regisque in plebis potestatem vi, l. l. sic pergit Dionysius, οὐδὲ τούτων ἔχοντι τὴν ἐξουσιάν ἀνεπίληπτον, ἂν μὴ καὶ τῇ βουλῇ ταῦτα δοκῇ [1]) de quà senatus auctoritate infra dicemus; nunc satis erit animadvertisse, quantis vinculis atque impedimentis in iis quoque rebus, quae suae curae essent relictae plebeji tenerentur per senatus auctoritatem, sine quà nil fere ad populum ferri poterat, quàque comitiis peractis suffragia plebis rata fieri debebant.

Videmus inde semper regem coluisse plebem eique adversus optimates tulisse auxilium, eoque magis, quo major numerus plebejorum eorumque opes fierent; ultimi quoque reges Tarquinius, Servius, Superbus maxima plurimaque in civitatem induxerunt instituta et plebis commodis honorique fave-

1) Cf. Cic. de Rep. lib. 2. c. 32.

runt, eosdemque potissimum contra optimates et senatum egisse historia docet.

Cl. Wachsmuthius minores etiam populi fuisse in republicâ partes putavit, negans reverâ eorum suffragiis fuisse commissa tria illa, quae a Dionysio ei tribuantur: quare videamus, quid hac de re ex historicorum libris constet.

Et primum quidem magistratus a populo eligi fuisse solitos argumentis probare vix opus erit; regem enim summum atque eo tempore unicum magistratum a populo in comitiis fuisse creatum dubitare non licet ei, qui Livii lib. 1. c. 7. Dionysii lib. 2. c. 60. Ciceronis de Rep. lib. 2. c. 13. perlegerit, ubi *populum sibi ipsum, auctoribus Patribus, regem adscivisse* tradi, quis est, qui nesciat? De tribunis vero, curionibus, decurionibus quo modo creati sint, non constat, verisimile tamen, eos, uti tribunum Celerum, a regibus fuisse electos [1].

Leges autem suffragiis populi latas esse apud Ciceronem et Livium me legere non memini: habemus tamen Dionysii, praeter duo testimonia supra allata, hunc locum lib. 4. c. 13. ubi de Servio Ἔπειτα τοὺς νόμους, τούς τε συναλλακτικοὺς καὶ τοὺς περὶ τῶν ἀδικημάτων, ἐπεκύρωσε ταῖς Φράτραις et Pomponius de Orig. Juris Romulum et ceteros reges leges curiatas ad populum tulisse nobis auctor est Digest. T. 2. § 1 et 2.

1) Vid Ovidins Fast. lib. 4. v. 827. Brutus a rege Tarquinio tribunatu Celerum ornatur Dionys. lib. 4. c. 71 extr. ἀρχαιρεσιάζειν *magistratus creare* apud Dionyaium significat. Nam ἀρχαι de illis tantum usurpatur. vid. lib. 8. c. 90. Ergo non audiendus Göttlingius, qui per illud verbum indicari putat, omnes non solum magistratus sed senatum etiam a populo eligi fuisse solitum pag. 150.

Reges autem de bello et pace populum consuluisse praeter memoratos Dionysii locos [1]), Livium testem citare licet, lib. 1. c. 49. de Tarquinio Superbo querentem, quod regum primus bellum, pacem foedera, societates per se ipse, quibuscum vellet, *injussu populi et senatus* fecerit diremeritque.

Aliud jus plebem in comitiis habuisse Dionysius affirmat, Equitum scilicet, Senatorum, Patriciorum electionem. Equites quidem his addi ne quis miretur, animadvertat me de Equitum centuriis loqui, quas jam ante Servium a reliquis equitibus legionariis cum cl. Strassero distinguendas censeo, quemadmodum ordo senatorius a Patricio distingui solet [2]).

Eidem viro clarissimo concederemne regem suo arbitrio Equites in centurias legisse, dubius paullisper haesi, Dionysium cum Livio, quem sequitur Strasserus, pugnare videns, quippe qui curiarum suffragiis id factum esse arbitretur [3]). Verum dubià in re Livii testimonio plus tribuendum existimavi, tum quod fide dignior videbatur, tum quod tantam tribuere popnlo potestatem non, videbatur consentaneum, et regi potius hoc munus adscripsi, *cujus manibus omnia ere regebantur, qui pro lubitu civibus imperasse, cujusque potestas eminere atque excellere dicitur* [4]). Quare de senatorum et Patriciorum lectione Livii et Festi testimonium praeferre non dubitavi, regi hoc item munus tribuentium [5]).

1) Vid. etiam Dionys. lib. 2. c. 73.

2) Strasser ll. pag. 32 et 35.

3) Liv. lib. 1. c. 36 et 43. Dionys. lib. 2. c. 13.

4) Pomp. de Orig. Jur. Dig. T. 2. § 1. Tacit. Ann. lib. 3. c. 26. Cic. de Rep. lib. 2. c. 28.

5) Dionys. lib. 2. c. 12. Liv. lib. 1. c. 35. de minorum

Magistratus gerere plebeji non potuere 1), sed per Tarquinium in senatum admissi sunt centum, in Patriciorum numerum relati 2). Jam ante Servium Tullium Equitum centuriis adscripti videntur 3) et provocatio a regibus ad populum fuit 4).

Altera civium pars Patricio continetur ordine, a Romulo ex centum ditissimis et nobilissimis civium constituto, qui nomen Patres acceperunt, quod opibus praevalentes magnam clientium familiam alerent et sic per exellentiam patrisfamilias imaginem referre viderentur, tum etiam honoris causa hoc nomine non indigni videbantur: eorum progenies Patricii appellati 5). Dionysius eos cum Εὐπατρίδαις Atticorum comparat, et Livius quoque nobilitatis notionem Patriciorum vocabulo tribuere solet 6). Uti plebeji in curias et tribus relati Equitumque centuriis adscripti, in senatu sub regibus soli fuere

gentium senatoribus „*Factio haud dubia regis, cujus beneficio in curiam venerant.* „Festus *Praeteriti senatores.*" *Ut reges sibi legebant sublegabantque, quos in concilio publico haberent.*" Dionys. lib. 4. c. 3. Ῥωμαῖοι — αὐτὸν ἐκ τοῦ δήμου μεταγαγεῖν ἠξίωσαν εἰς τοὺς πατρικίοος, ψήφους ἐπενέγκαντες. Cf. lib. 3. c. 41 et 47. Unde refutatur Wachsmuthii sententia, pag. 186 non omnes, qui senatores fierent Patricios fieri: Suetonii locus Oct. lib. 1. c. 2 quem attulit, corruptus est. Liv. lib. 4. c. 4. *Per cooptationem in Patres, aut ab regibus lecti aut post reges exactos jussu populi.*

1) Dionys. lib. 2. c. 8. Cf. Strasser pag. 68.

2) Dionys. lib. 3. c. 67. Liv. lib. 1. c. 34.

3) Strasser § 16 - 20.

4) Dionys. lib. 3. c. 22. Liv. lib. 1. c. 26. Cic. de Rep. lib. 2. c. 31.

5) Festus *Patres.* Liv. lib. 1. c. 8.

6) Dionys. lib. 2. c. 8. cof. Liv. lib. 1. c. 34. „Roma — ubi ex virtute nobilitas sit — regnasse Tatium Sabinum et Ancum Sabinâ matre ortum nobilemque unâ imagine Numae esse." lib. 4. c. 4 „nobilitas ista vestra, quam — per couptationem in Patres habetis."

et magistratuum sacerdotiúmque jus soli habuere [1]), auspicia illis propria fuere et patronatus honore illi tantum fructi sunt [2]) agrorumque publicorum occupationem praesertim sibi vindicarunt, quo de jure cum regibus saepius certatum est [3]).

In comitiis autem Patricii etiam suffragium tulerunt, qui non senatores essent: attamen non multum in iis voluisse videntur, quum pauciores essent numero, nec clientes haberent suffragantes, quippe quibus comitiis erat interdictum, ut supra ostendere conati sumus: sed vel sic tamen superiores fuisse Patricios negari non potest, quamquam non suffragiis ferendis id factum arbitror, sed auctoritate senatus, qui comitiorum jussa reprehendere poterat et per προβούλευμα, quo res in comitiis peragenda ad plebejosque deferenda continebantur; pleraque etiam a rege et senatu gerebantur plebejis agros colentibus.

Haec, ut spero, sufficient ad imaginem concipiendam conditionis, quâ ante S. Tullium populus Romanus fuerit: restat ut paucis videamus, utrum tribuum discrimen ratione juris et imminutatum habitâ obtinuerit. Et sane haud arduum erit contrarium defendere, quum ducem se nobis offerat doctissimus V. d. Velden, ad quem referam lectorem, animadversionibus hic illic additis.

Cl. Niebuhrius fuisse discrimen hisce argumentis probare studuit. « Tacitus, inquit, Ann. lib. 3. c. 26, quatuor priores reges tanquam οἰκιστὰς considerat Romulum, Numam, Tullum, Ancum, quorum Ro-

1) Dionys. lib. 2. c. 9.

2) Liv. lib. 6. c. 4, lib. 8. c. 10. Dionys. ll.

3) Plut. Rom. c. 27. Liv. lib. 1. c. 46 et 47. Dionys. lib. 4. c. 11, lib. 2. c. 62.

mnlus Ramnensium, Nnma Titiensium, Ancus plebejorum auctor fuit: restat igitur Luceribus unicus Tullus, qui igitur eos in civitatem accepisse videtur. Tullus antem e Mednllia, Latinornm urbe a Romanis subactâ, originem duxisse traditur, quâ narratione significatur, ut opinor, Lucerum nrbem a Romanis victam eorumque cives ab illis victoribus pependisse [1])."

Alterum Niebnhrii argumentum eo redit. Dionysins ait, Nnmam, ut concordiam inter cives restitueret, Romnli Albanis, qui jura prae ceteris Patriciis sibi postularent, ita morem gessisse, ut omnia jura, quae eousque possedissent, illos habere sineret, Sabinis vero alios honores donaret; non novos tamen Romulum dedisse putat, sed, quae Sabini in suâ civitate privatim habuissent, ea publica fecisse, unde factum, ut plerumque magistratus sacerdotiaque duplicata apud Romanos inveniamus et Luceres pauciora acceperint, quippe qui eousqne in inferiore conditione essent versati [2]).

Primum argumentum doct. V. d. Velden jam satis infregit docens, Tacitum de legum divinique cultus institutione loqui, non vero de auctâ civium numero civitate aut ampliatis finibus, atque intelligi non posse ostendit, quî Tullus e civitate victa ad snmmnm regis honorem escendere potuerit [3]). Qnibns rationibus acquiescenti hoc tantum addere mihi liceat, Medulliam captam non arguere Lucerum a Romanis fuisse victam et nullam adesse causam,

1) Niebuhr. tom. 1. pag. 312.

2) Niebuhr. tom. 1. pag. 317. Reliqua argumenta invenies apud V. d. Velden pag. 37 - 39, de quibus nil habeo, quod animadvertam.

3) Il. pag. 35.

cur, quod de Medullio narratum sit, ad Lucerum transferamus; neque apparere, quod vinculum inter utramque urbem intercesserit, quum potius ab Etruscis, quam a Latinis incolis occupatum Coelium credas e Ciceronis et Varronis testimoniis [1]), quorum hic Etruscorum conditionem inferiorem et victorum similem haud dubie significat [2]): de Latinis vero Coelii montis incolis ante Tullum Hostilium nihil invenire potui.

Secundum argumentum placere doct. V. d. Velden non potuit [3]), nec nobis suam sententiam persuasit cl. Niebuhrius. Nam primum non traditur, honores quosdam privatim quamque tribum habuisse, quàmquam hoc per se nihil habet, quod offendat; verum, quod summum est, verba ipsa Dionysii ejusmodi interpretationem non patiuntur. Loquitur enim de publicis juribus et immunitatibus uti *γνώμης τε ἄρχειν* aliisque: quare quum regiae dignitatis et senatoriae jus Sabini jam haberent, reliqui autem honeres magnâ ex parte sacerdotales essent et Numa multa nova sacerdotia instituisse dicatur [4]), doct. Van de Velden non assentire non possum, qui novos honores Sabinis concessos sacerdotia fuisse suspicabatur.

Sed quominus his diutius immorer, vetat scriptionis nostrae consilium; hoc tantum omittere non possum, rejectis de tribuum discrimine argumentis stare non posse Niebuhrii opinionem, decemprimos

1) Cic. de Rep. lib. 2. c. 8. Varro de l. l. pag. 14.

2) „*Hi* (sc. Etrusci, Coelii Vibennae sodales) *post Coelii mortem quod nimis munita loca tenerent, neque sine suspicione essent, deducti dicuntur in planum.*"

3) Pag. 36 ll.

4) Dionys. lib. 2. c. 64 seqq.

e Ramnensibus tantum senatoribus fuisse electos, e quàvis decurià principem: argumentum enim, quo hoc probare conatus est, e reliquis juribus ductum est, quae Ramnensibus prae reliquis tribuerat: verisimile scilicet videbatur, eos hac in re etiam principatum obtinuisse [1].

1) Vid. Niebuhr. tom. I. pag. 320 et 321.

CAPUT 2.

DE SENATU ROMANO.

§ 1.

DE SENATORUM INSTITUTIONE, NUMERO, CREANDI RATIONE, DIVISIONE.

Quia Interreges, ut deinde videbimus, regum aetate e senatoribus eligebantur et respublica mortuo rege ab iis solis regebatur, paullo accuratius in hujus ordinis conditionem inquirere ejusque potestatem considerare lubet: quum vero nostra disputationis consilium longam inquisitionem, ut alienam, respuat, paucis, quantum potero, rem absolvere conabor. De senatoribus igitur — qui fuerint quique eorum numerus, quae creandi ratio, quae divisio, quae ordinis potestas — inquirere propositum est; pauca de Decemprimis addam.

Romulus Patricium ordinem constituisse dicitur; videtur tamen Albâ multos secum duxisse principes, e quibus centum elegerit, Patres ab honore vocatos, eorumque posteros Patricios. Post Sabinos in civitatem acceptos ex his quoque senatores esse adscitos confirmatur e Dionysio lib. 2. c. 47. Plutarcho Rom. c. 20. atque e Livio probare studuit

cl. Strasserus pag. 25 et 26. « qui enim, inquit, Sabini regem e suis creare potuissent, si in Senatu non essent, cui regis electio erat commissa. Aliter Livius rem sibi finxit, ut verba ejus lib. 4. c. 17. testantur: « ***Patrum interim animos certamen regni et cupido versabat. — Oriundi ab Sabinis sui corporis creari regem volebant, Romani veteres peregrinum regem aspernabantur***; et cap. seq.: « ***Audito nomine Numae Patres Romani — neminem praeferre illi viro ausi sunt.*** Jam vero, inquit Strasserus, nomen Numae non nisi in senatu audiri potuit, cui ipse Livius regis eligendi adscripsit facultatem: itaque secum pugnat."

Praeter Albanos Romuli et Sabinos, alios etiam senatores in senatu fuisse effici posse videtur e Dionysio lib. 2. c. 62. ubi Sabini generis senatores ***prae ceteris*** adversus Ramnenses sensisse dicit; qui autem fuerint incertum est: fortasse Luceres fuere. Ex subactis quidem urbibus, Crustumino reliquis, esse potuerunt, etsi nihil de his acceperimus: ne Luceres fuisse existimemus, obstat Dionysius lib. 3. c. 67. ubi a Tarquinio demum trecentorum senatorum numerus expletus dicitur centum plebejis additis, cujus tamen testimonium non curans Göttlingius e lib. 3 c. 10. efficere conatus est, jam ante Tarquinium trecentorum numerum legitimum fuisse habitum [1]). At incertum relinquere malo, quum lubricum sit Dionysii testimonium ex ipsius verbis refellere, quae illi minus intento elabi potuere et defendi quoque possunt, quoniam ex iis

1) Pag. 151 verba Dionysii haec esse conjicio. Fuffetius ad Tullum dicit: *ἀλλὰ καὶ βασιλεῖς ἀποδείκνυτε ξένους, καὶ τῆς βουλῆς τὸ πλεῖστον ὑμῖν ἐκ τῶν ἐπηλυδων κ. τ. λ.*

proprie non sequitur, Luceres etiam in senatu jam tum fuisse.

Strasserus v. cl. pag. 26 et 27 contendit, Livium existimasse centum senatores a Tullo Hostilio in senatum esse vocatos, quod testimonium cnm Livii silentio de centum Sabinis conciliare conatur: paucos ex Albanis gentibus, in Patricios relatis, senatores factos credit, eosque cum Sabinis centenarium numernm explevisse.

Mihi vero a v. cl. dissentire liceat; Livius enim, etsi centum Senatores a Romulo creatos, et totidem a Tarquinio additos esse dicat, non tamen affirmat Brutum *pristinum* trecentorum numerum restituisse, quae v. cl. est sententia. Etenim id tantum dicitur, ***Brutum senatorum numerum, caedibus crebris deminutum, ad trecentorum auxisse.*** Sed fac Livium ita censuisse, nihilo tamen magis probaveris Strasseri sententiam. Diserte enim sex tantum gentes Albanas post urbem dirutam in senatum acceptas Livius credidit, Sabinorum mentionem omisit, idemque confirmat Dionysius lib. 3. c. 29.

Senatorum numerus a Romulo ita confectus videtur, ut e singnlis decuriis singuli senatores eligerentur, curia igitur decem viros in senatum mitteret, qui curiam representarent 1). Uti Romulus

1) Dionys. lib. 2. c. 12 et 13. Admitti non potest Niebuhrii hypothesis, quae decurias easdem ac gentes facit, et decurionibus singularum gentium senatum constitisse, tom. 1. pag. 355, nec Hüllmanni probari opinio, qui curiones et duos decuriones, e singulis curiis electos, in senatum venisse contendit, et novem decanos, tribuum suffragiis creatos, his additos cum rege ipso centenarium explevisse numerum, ll. pag. 23. Wachsmuthius pag. 203 seqq. memoratam a Dionysio senatus legendi rationem rejecit, sed per cooptationem senatores lectos esse existimat, ita ut prima decuria, a rege lecta, caeteros legerit senatores, vir virum, eodem modo,

centum senatores creavit, ita Sabinorum quoque senatores lectos esse arbitror et semper in locum mortui novum a regibus ex eâdem decuriâ esse suffectum. Verum non semper eandem rationem servasse reges ex silentio antiquorum de Lucerensibus senatoribus atque e Tarquinii Prisci centum senatoribus plebejis conjicio; numerus enim ille tribus tribubus non respondet et tamen in omnibus tribubus plebeji fuerunt.

Credo igitur sensim paullatimque tribuum dicrimen non amplius observatum esse adscitisque plurimis novis civibus evanuisse, unde factum, ut e tertiâ Lucerum tribu novi senatores non sint creati, sublatis magis magisque diversarum gentium discordiis partiumque studiis: senatores igitur non amplius ex hâc illâve tribu legisse reges, sed promiscue optimos ex omnibus tribubus et sic factum, ut Tarquinius Priscus centum plebejos ex toto populo legeret, sive ducentos, ut alii voluerunt. Et ne quis hoc a rege fieri potuisse neget, reputet, quid S. Tullius fecerit, qui totam gentilium tribuum divisionem sustulit, novâ secùndum regiones inductâ.

Senatores, ut ex Interregni descriptione cognoscere licet, in decurias erant divisi, cujus causa in senatorum eligendorum ratione quaerenda videtur: uti enim supra vidimus e singulis curiis decem senatores creabantur, initio e Romanorum et Sabinorum curiis, e singulis decuriis singuli, ita, ut

quo Samnites Etruscique exercitum interdum composuisse dicuntur a Livio lib. 9. c. 39 et 40. lib. 10. c. 38, verum nihil ejusmodi usquam de senatu Romano scriptum invenitur, quare ea, quae ab ipsis accepimus antiquis, vestigia sequi malui.

decem Romanorum totidemque Sabinorum decuriae in senatu essent. Cf. Göttlingius pag. 152. putat in senatus divisione eandem tribuum rationem esse habitam, quam in Eqnitum turmis observatam videmus, ut post decuriam Romanorum totidem Sabini et Luceres sequerentur et secundum hanc sententias quoque esse rogatas.

Initio ita fuisse, quum Sabini et Romani separatim habitarent et regem quaeque suum tribus haberent, non est quod negem, verum hoc tribuum et decuriarum discrimen sensim sublatum esse persuasum mihi est et fortasse jam a Numâ hujus rei initium factum est. Etsi enim Tatio mortuo utriusque tribus senatores unius magis curiae uniusque civitatis participes sese considerare debuerint sublatâ consultatione separatâ, quam Tito Tatio vivo obtinuisse Plutarchus Rom. c. 20. nobis tradidit, tamen Romuli mors utramque civitatis partem, oppositis utriusque commodis, denuo excitavit pristinumque civium discrimen in omnium animos de integro revocavit: quae quidem discordiae Numâ rege facto non deferbuere quodque jam prius postulassent Ramnenses, ut prae ceteris honoribus et dignitatibus exornarentur, ne tum quidem sibi arrogare desierunt; quare, ne hoc reipublicae malum latius serperet majoresque vires caperet, summopere Numam animo agitasse idem Plutarchus nobis auctor exstitit Numa c. 17.

Haec igitur reputans et quae Dionysius de Numae Patriciorum conciliandorum studio tradidit, non temere me acturum spero, si Numam quoque decuriarum istarum in senatu discrimen sustulisse posuero: ita, ut annorum tantum in sententiis rogandis

ratio haberetur [1]. Quodsi Numae nondum hanc auctoritatem in civitate fuisse concedi possit; res tamen ipsa monet, non diu hanc diversitatem gentium durare potuisse receptis multis in curias et tribus peregrinis, unde fieri debuit, ut sensim paullatimque Sabinorum et Romanorum atque Etruscorum discrimen tolleretur. Suspicor igitur diversarum tribuum notione sublatâ juniorum et seniorum in decuriis etiam obtinuisse discrimen, ut quaedam seniores aliae juniores ex omnibus tribubus complecterentur, quarum illae primum sententiam rogabuntur atque in senatu praesiderent: quâ vero aetate sub regibus in curiam Patricii legi potuerint non constat; e senioribus i. e. qui militarem aetatem superassent, creatos cum cl. Niebuhrio existimo [2].

Senatui praeerat rex eoque absente princeps senatus, a rege ipso creatus [3], qui simul custos urbis erat, unde senatum convocare, comitiis praeesse, jura dare potuit; subinde tamen justitium indicebatur [4].

1) Hoc e quibusdam Dionysii dictis suspicari licet. Quando enim de Interregis v. c. delato munere sermonem facit, senioribus praesertim id commissum dicitur v. c. lib. 3. c. 1. lib. 8. c. 90, non vero hujus illiusve tribus senatoribus. Ita liberâ republica praeter magistratuum, aetatis ratio babebatur Dionys. lib. 7. c. 47. πρῶτοι μὲν οἱ πρεσβύτατοι τῶν ὑπατικῶν (sc. sententiam rogabantur) ἔπειτα οἱ τούτων ὑποδεέστεροι κατ᾽ ἄμφοτερα ταῦτα· τελευταῖοι δὲ οἱ νεώτατοι. Dionysium majores et minores natu significare patet ex lib. 6. c. 66. Ergo admittenda non est Niebubrii cl. v. explicatio tom. 2. pag. 131 data, ubi πρεσβύτατοι de senatoribus majorum gentium accipitur. Tarquinii vero senatores minorum gentium nomen a plebitate non a tribus discrimine acceperunt.

2) Cf. Cic. de Rep. lib. 2. c. 9. Dionys. lib. 2. c. 13.

3) Dionys. lib. 2. c. 12. Lydus de Mensibus c. 9, apud Niebuhr. tom. 2. pag. 127.

4) Göttling. pag. 165. Dionys. lib. 4. c. 82. Ramnenses ad

§ 2.

DE SENATUS POTESTATE. DECEM PRIMI.

Quae ab antiquis scriptoribus de senatu nobis sunt tradita efficiunt, ut magnam hujus ordinis fuisse potestatem putemus. Dionysius, Livius, Cicero in eo conveniunt boni regis habitum fuisse officium de omnibus senatum in consilium vocare, re militari exceptâ; in bello enim ἡγεμονίαν αὐτοκράτορα habuisse traditur [1]). Horum vero testimonia historia confirmat multaque hujus rei exempla apud memoratos scriptores exstant [2]), et verum eos docuisse inde quoque patet, quod Tarquinius in senatum legerit, quos sibi deditos futuros speraret, et ultimi potissimum reges, qui parum aut nihil senatorum concilio tribuebant, in Patriciorum odium incurrerint.

Attamen parum honoris illa species senatum juvisset, nisi rex secundum eorum decreta ageret. Dionysius nos certiores facit hoc jus revera senatum habuisse, ut quod plures eorum, rege referente, censuissent, valeret et a rege ad populum referretur vel omissis comitiorum suffragiis perageretur [3]).

Ne tamen nimium senatus auctoritati tribuamus reputandum est, verosimiliter eâ aetate certa et definita tempora non fuisse, quibus senatus, ut

Tullum Hostilium solos hoc magistratu fuisse functos Niebuhrio concedere non possum, quum nusquam hujus rei vestigium apud antiquos, quantum scio, exstet. Niebuhr. tom. 2. pag. 128.

1) Liv. lib. 1. c. 49. Dionys. lib. 2. c. 12 et 14. Cic. de Rep. lib. 2. c. 8 et 9.

2) Dionys lib. 2. c. 35 et 52. lib. 3. c. 16 et 22. Liv. lib. 1. c. 32 et 49. Cic. de Rep. lib. 2. c. 17.

3) Dionys. lib. 2. c. 14.

postea moris fuit, cogeretur, sed a regis pependisse arbitrio, quando et de quibus rebus senatum consuleret; unde sequi multa a solis regibus esse gesta et peracta non consulto senatu. In omnibus tamen, quae ad populum erant ferenda, senatus consulto opus erat, ut legitime res fieret 1).

Praeter aerarii curam et arbitrium, quod cum rege habuere commune 2), judicia etiam eos concessu regis interdum curasse e Dionysio novimus 3). Quo autem omnium maxime valuerunt, fuit *auctoritas* illa sive *reprehendendi potestas*, quâ comitiorum suffragia vel improbare vel rata facere poterant. Non enim ea curiarum propria fuit, ut Niebuhrius suspicabatur, nam cl. viri argumenta supra jam nobis probari non posse ostendimus, quod populum de lege curiatâ suffragia ferentem et Patres auctores eosdem existimare non possimus, obstantibus antiquorum manifestis testimoniis; quare h. l. non repetemus, qui loci supra a nobis sunt allati, nec disputabimus de Hüllmanni, Wachsmuthii aliorumque argumentis adversus eandem opinionem tela inferentium, quippe quae notiora sint et quae omnino probare debeam 4). Göttlingii vero sententiam pag.157 non possum, quin adscribam, quippe quae plane cum antiquorum testimoniis pugnare videtur: *An eine Beschränkung*, inquit, *der Rechte der Comitien, wie sie bei den Lacedaemoniern als spätere Einrichtung sich zeigte, dasz, wenn das Volk einen krummen Besluss gefaszt, König und Senat ihn*

1) Dionys. lib. 4. c. 80. lib. 7. c. 38. lib. 9. c. 41.
2) Polyb. lib. 6. c. 14.
3) Dionys. lib. 2. c. 14 et 29.
4) Vid. Hüllmann. II. pag. 50. Wachsmuth. pag. 337. not. 35. Strasser. pag. 80. V. d. Velden pag. 61.

aufheben konnten, ist ebenfalls nicht zu denken, da von einer solcher Beschränkung sich keine Spur zeigt.

Vestigia apud Dionysium indicari possint v. c. lib. 4. c. 40. ubi diserte dicitur, tum populi tum senatus, tum auspiciorum consensum ad regem legitime creandum requiri et alium creare regem necesse fuisse, si quid eorum desideratur. Cicero autem et Sallustius reprehensionem comitiorum diserte memorant. Ita v. c. Cicero pro Plancio c. 13. *Nam si ita esset, quod Patres apud majores nostros tenere non potuerunt, ut reprehensores essent comitiorum* cet. et Sallustius Hist. lib. 3. *Ne vos ad virilia illa vocem, quo tribunos plebis modo, Patricium magistratum, libera ab auctoribus Patriciis suffragia majores vestri paravere* [1].

Haec de Patrum auctoritate: de Decemprimis etiam quaedam in medium proferenda nobis sunt.

Vidimus jam supra stare non posse Niebuhrii cl. v. opinionem, quâ solis Ramnensibus decemprimatum tribuit: sed ulterius etiam tuto progredi posse nobis videmur contendendo, perpetuam decemprimorum decuriam in senatu non fuisse. Loci enim, qui hoc probare censentur, satis magnam auctoritatem non habere videntur [2]. Dicit Valerius Maximus lib. 1. c. 1. *decretum esse a majoribus, ut decem principum filii singulis Etruriae populis percipiendae sacrorum disciplinae gratiâ traderentur.* Praetereo rem etiam nunc in controverso

1) Vid. Gronovius Observ. lib. 1. c. 25. pag. 202 seqq. legem curiatam de imperio a Patrum auctoritate distinguendam esse probatum egregie invenies apud Strasserum pag. 83, 85 et 86.

2) Vid. Niebuhr. tom. 1. pag. 320.

esse, utrum Etruriae an Romanorum juvenes significentur [1]). Sed faciamus verum vidisse Niebuhrium, nihil vel sic in hoc loco inesse videtur, unde concludere possis, in senatu Romano fuisse decem virorum decuriam, Decemprimorum nomine, singulis e singulis decuriis Ramnensium delectis. Nihil amplius significari credo, quam e Patriciis juvenibus decem esse electos, qui sacrorum disciplinae cognoscendae operam darent.

Alter locus est Dionysii lib. 6. c. 84. Ubi legati ad plebem, in montem sacrum secessione factâ profectam, dicunt: „*οἱ ἡγούμενοι τοῦ συνεδρίου καὶ πρῶτοι τὰς γνώμας ἀποφαινόμενοι τῶν ἄλλων ἡμεῖς ἐσμέν.*" Quae verba ita vertenda videntur: ***Qui principem locum in senatu obtinent, qui inter primarios et praeclarissimos senatores censentur atque dignitatis et annorum gratiâ praesident ceteris, senatus duces habentur primique sententiam rogantur nos sumus;*** *ἡγεῖσθαι* enim h. l. usurpatur cum significatione ***praeeundi***, ***ducendi***, quod, qui ordine primus est, ducit quasi et praeest reliquis: sic *ἡγεῖσθαι γνώμης* significat ***primum sententiam rogari***, quod, qui ducit, primus est. Ergo peculiarem decuriam Decemprimorum fuisse ex allatis locis effici non potest, quod inde etiam patet, quod lib. 6. c. 84, legati non suo jure hoc suscipiunt officium, sed designantur ad rem propositam expediendam, quo opus non fuisset, si perpetuus ejus modi ordo vel decuria fuisset [2]).

1) Vid. Orellius ad Cic. de Divin. lib. 1. c. 41.

2) Dionys. lib. 6. c. 69. *Πρεσβευτὰς εἵλοντο δέκα τοὺς ἐπιφανεστάτους τῶν πρεσβυτέρων, ἐκτὸς ἑνὸς ἅπαντας ὑπατικούς.* Cf. Dionys. lib. 8. c. 76.

Decemprimos igitur proprio sensu Romani non habuerunt, sed si legatio aliave res magni momenti essent peragenda decem optimi et praeclarissimi e senioribus senatoribus deligebantur, ut dignos sese procuratores Respublica haberet. Atque ita Appiani locus explicandus est Hist. Rom. lib. 8 c. 35 [1]), quo *δέκα σφῶν αὐτῶν ἡ βουλή τους ἀρίστους ἔπεμπε* legimus.

1) Cf. Göttling. pag. 151.

CAPUT 3.

DE REGUM ROMANORUM POTESTATE.

Rex a populo, Patribus auctoribus, lectus ad vitam, lege curiatà imperio accepto summus fit reipublicae *sacerdos*, *magistratus*, *imperator.*

Ante pontifices institutos sacris praeerat et sacrificiorum curam gessisse dicitur [1]), deinde maximam munerum sacrorum partem sub rege pontifices peregerunt: sacrificiorum vero quorundam publicorum officio rex ipse functus esse videtur [2]).

Tanquam summus magistratus senatum convocare et populum ad comitia ad eaque ferre e senatus consulto potuit [3]), populique jussa ad senatum referre [4]); praeterea rei judiciariae curam habebat, graviores causas ipse judicans, minores vero vulgo committens senatoribus, prospiciens tamen, ne quid contra jus fieret [5]); ab omnibus tam rege quam

1) Dionys. lib. 2. c. 14.

2) Liv. lib. 2 c. 2.

3) Dionys. ll. Ergo jus promulgationis tantum habuisse videntur, vid. doct. H. G. Römer de consulum auctoritate pag. 5.

4) Dionys. ll.

5) Dionys. ll et lib. 2 c. 49.

senatoribus ad populum provocatio fuisse videtur [1].

Senatus, Patriciorum, Equitum, Praefectorum legendorum jus penes regem est et in bello unice et pro libitu regnat [2]. Verbo plurima ab illo vel solo vel cum senatu peraguntur, vel ab eo aliis committuntur, quaedam populi suffragiis erant subjecta, quibus, quae a rege et senatu proponuntur, confirmari vel rejici poterant.

Haec attigisse sufficiat: plura jam supra, quum de senatu et populi comitiis agebamus, tractata erant. Accurate quoque regis definire potestatem non possumus, quae major vel minor pro indole regum diversa fuisse videtur et certis finibus non circumscripta, usu magis, consuetudine patriisque moribus, quam legibus coarctata. Unde haec Cicero vere dixisse videtur: « *Nam in quâ republicâ est unus aliquis perpetuâ potestate, praesertim regiâ, quamvis in eâ sit senatus, ut tum fuit Romae, quum erant reges, ut Spartae Lycurgi legibus: et ut sit aliquod etiam populi jus, ut fuit apud nostros reges; tamen illud excellit regium nomen neque potest ejusmodi respublica non regnum et esse et vocari* [3]".

1) Cic. de Rep. lib. 2. c. 31. Liv. lib. 1. c. 26. Cf. Dionys. lib. 3. c. 22.
2) Dionys. ll.
3) Cic. de Rep. lib. 2. c. 33.

CAPUT 4.

DE INTERREGNO.

§ 1.

EJUS ORIGO, NUMERUS INTERREGUM, SPATIUM REGNANDI SINGULIS INTERREGIBUS DATUM.

Interrex, inquit Ernestius in clave, *est magistratus curulis extraordinarius, qui comitiorum habendorum causâ creatur, quum magistratus major nullus est, qui habere possit; nomen retinuit liberâ Republicâ, quod olim acceperat post mortem Romuli in interregno.*

Et accurate sane haec definitio est, si quid sub regibus universe fuerit Interrex, quaeras; verum Interreges post Romuli mortem proditi alio reverâ consilio sunt constituti; quare hanc potius definitionem proponere liceat. *Interrex est magistratus curulis extraordinarius, institutus post Romuli mortem, quum senatores tentarent, ut soli sine rege administrarent rempublicam, hoc consilio, ut ad omnes senatores regnum suâ vice perveniret; populo vero regem flagitante per Interregem e senatus consulto comitia sunt habita; unde mos invaluit, ut post regis alicujus mortem Interreges

crearentur ad comitia novi regis habenda, si quidem magistratus nullus alius esset, qui ea habere posset. Haec regiminis forma, ut Livius et Plutarchus ajunt, a re Interregnum appellata 1).

Hoc autem consilium senatores habuisse patet ex antiquorum testimoniis haud rejiciendis. Cicero et Livius, Plutarchus et Dionysius 2), omnes in eo consentiunt famam fuisse obscuram, Romulum Patriciorum manibus interiisse et Livius corporis custodes tam in bello quam in pace circum sese habuisse regem cum Plutarcho et Dionysio scripto mandavit 3); quamvis autem post Tatii mortem multo magis Patrum auctoritate secundum Ciceronem regnaverit Romulus: idem tamen non reticet, Patres Proclum subornasse, qui a se Romuli interitus invidiam pellereut 4), id quod caeteri quoque in Annalibus invenerant. E Dionysii et Plutarchi libris historicis cognovimus multas etiam causas in Annalibus recensuisse scriptores, propter quas interitum sibi contraxisse Romulus crederetur 5).

Haec igitur omnia reputanti, haud temere agere videar, statuens, Patricios quàcunque tandem causâ regem iuteremisse et verum vidisse Plutarchum 6), quum diceret ὡς πάλαι βαρυνόμενοι sc. Patricii, τῷ βασιλεύεσθαι καὶ μεταστῆσαι τὸ κράτος εἰς ἑαυτοὺς θέλοντες, ἀνέλοιεν τὸν βασιλέα. Idem ne Cicero quidem negare potuit, accusavitque Patricios, quod quum tantum

1) Liv. lib. 1. c. 17. Plut. Numa c. 2. Cf. Appian. de bell. civil. lib. 1. c. 98.

2) Cic. de Rep. lib. 2. c. 10. Liv. lib. 1. c. 16. Dionys. lib. 2, c. 56. Plut. Rom. c. 27.

3) Liv. lib. 1. c. 15. Plut. Rom. c. 26. Dionys. lib. 2. c. 13 et 56.

4) Cic. de Rep. lib. 2. c. 8 et 10.

5) Plut. Rom. c. 26 et 27. Dionys. lib 2. c. 56.

6) Numa c. 2.

illis rex tribuisset, ut Patres vocaret, tamen post ejus excessum tentarent, ut soli sine rege gererent rempublicam [1]) et quamquam Livius, assentiente Plutarcho, anarchiae ex discordia Patriciorum metuendae causa Interregnum initum dicit [2]), tamen et Dionysii narratio, quà statim post mortem regis imperium senatores susceperunt et populi post annuum Interregnum regis creandi studium ab omnibus memoratum me compellunt, ut regni cupidinem interregni instituti causam fuisse credam.

Commemoratione non indigna Strasseri sententia ad Interregnum pertinens, qui fabulam *de Romulo a Patriciis discerpto, unde partem corporis regii singuli secum domum abstulissent senatores* ita explicat: « *Nach dem Tode des Romulus theilten sich die Patricier in das Regiment, woron durch das Interregnum jeder ein abgemessenes Theil zufiel* " [3]). Quae explicatio plane cum Interregni origine a nobis explicatà quadrare videtur, quaeque etsi satis firmis, ut opinor, argumentis superstructa, inde non parum adstruitur quod statim post Romuli mortem ἡ βουλη, ut Dionysius lib. 2. c. 62. ait, διαφέρεσθαι καὶ στασιάζειν αὐτὴ πρὸς εἁυτήν ἤρξατο περὶ τοῦ πλείονός τε καὶ ἴσου [4]), quod quis eos facturos fuisse putet novamque et inauditam ceteris gentibus Interregni ineundi rationem excogitaturos, si consilium novi regis creandi cepissent [5]), unde merito

1) Cic. de Rep. lib 2. c. 12.
2) Plut. Numa c 2. Liv. lib. 1 c. 17.
3) Strasser ll. pag 8.
4) Cf. Plut. Numa c. 2 et 17.

5) Vid. Cic. de Rep. lib. 2. c. 12. Plutarchus quoque ll. Patriciorum sine rege regnandi cupidinem notat his verbis: ἀλλὰ καίπερ οὕτω πολιτικῶς καὶ ἀνεπαχθῶς ἀφηγεῖσθαι δοκοῦντες, ὑπονοίαις καὶ θορύβοις περιέπιπτον, ὡς μεθιστάντες εἰς ὀλιγαρχίαν τὰ πράγματα κ. τ. λ.

culpandum Dionysium existimo tradentem, populum senatui commisisse, ut, qnam regiminis formam in posterum haberent, constitueret.

De numero Interregum quaerenti primo intuitu duae sibi oppositae sententiae invaluisse videntur, quarum altera singulos, altera decuriam Interregum statuat. Prioris auctores Cicero, Appianus, Plutarchus, Vopiscus esse videntur, posterioris Dionysius et Livius. Livium decem senatores post Romuli mortem simul magistratus honore ornatos edidisse, neminem negaturum pro certo habeo, qui ejus verba cognoverit lib. 1. c. 17. *Decem imperitabant, unus cum insignibus imperii et lictoribus erat.* De Dionysio dubitâre possit propter manifestum ejus testimonium lib. 2. c. 57. datum: Ἐκεῖνοι δ' οὐχ ἅμα πάντες ἐβασίλευον, ἀλλ' ἐκ διαδοχῆς ἡμέρας πέντε ἕκαστος, ἐν αἷς τάς τε ῥάβδους εἶχε καὶ τὰ λοιπὰ τῆς-βασιλικῆς ἐξουσίας σύμβολα. Tolletur tamen ea dubitatio, si quis proprium horum verborum sensum animadverterit, eaque comparaverit cum antecedentibus et quae aliis locis ab eodem scriptore scripto sunt mandata; nam quid, quaeso, dicit? num omnes decem non simul in magistratu fuisse? Non crediderim: verum οὐχ ἅμα πάντες ἐβασίλευον, *non omnes regiâ potestate eodem tempore fruebantur*, i. e. ut ex iis patet, qnae statim sequuntur, *non omnes iisdem diebus cum imperii signis erant*, nam ut prius dixerat τοῖς λαχοῦσι δέκα πρώτοις ἀπέδωκαν ἄρχειν τῆς πόλεως τὴν αὐτοκράτορα ἀρχήν, eodemque capite 57. memoratâ insignium per manus Interregnum ejusdem decuriac traditione, sic pergit διεξελθούσης δὲ τοῖς πρώτοις μεσοβασιλεῦσι τῆς πεντηκονθημέρου προθεσμίας, ἕτεροι δέκα τὴν ἀρχὴν παρελάμβανον,

et paulo infra populo fuisse visam dicit παῦσαι τὰς δεκαρχίας; unde, quid censuerit satis apparere confido. Hisce igitur Livii Dionysiique testimoniis acquiescam nec temere, ut opinor, etiamsi ceteri contrarium narrassent: illi enim videntur datâ operâ de Interregno egisse, reliqui strictim rem attigisse; ut minorem auctoritatem mereri eos non dubitem. Quid autem si cum utriusque dictis Cicero, Appianus, reliqui conciliari possint? cujus rei periculum facturus vereor quidem, ne quis contortam longeque quaesitam meam explicationem judicet, conabor tamen pro viribus, ne omisisse eos videar et quod juveni concedendum esse arbitror, ut sententiam, quae admodum ei probabilis esse videatur, modeste aliorum judicio submittat.

Praesertim igitur Ciceronis testimonium offendere debuit, quippe qui tum fide tum accuratâ rerum notitia excellens, hoc loco plane cum Livio et Dionysio pugnare videbatur. Post vero quam accuratius ejus verba consideraveram de Rep. lib. 2. c. 12. *ut*, *quoad certus rex declaratus esset*, *nec sine rege civitas*, *nec diuturno rege esse uno*, in eandem, quâ supra Dionysii, sententiam ejus verba explicanda esse statui. Quod autem Dionysius βασιλεύειν, Livius *cum fascibus esse* vocat, id Ciceroni est *regem esse*, nec excludit plurium Interregum concilium, quum de eo tantum loquatur Cicero, qui per legitimos dies praesidio collegii esset ornatus. Quodsi contrarium ex Ciceronis verbis effeceris, quid de Dionysii verbis putandum censebis, qui, nisi nostram probaveris interpretationem plane in Ciceronis sententiam abiisse esset putandus et sic secum ipso pugnare vehementer in paucis illis ejus-

dem capitis verbis. Cicero in Annalibus invenire debuit, quod Livius nos docuisse supra ostendimus, decuriarum rationem in primo illo Interregno fuisse habitam: idoneam enim causam, cur veri studium Livio abjudicaremus, non habere nobis videmur, quippe qui semper reddat, quod apud alios invenisset et hoc uno loco a consuetudine suâ in pejus declinasse non censendus sit.

Hanc ob causam Plutarchi quoque et Appiani locos in eundem sensum interpretari malo, quarum ille paucis verbis narrationem absolvens, hoc tantum tradit « *decrevisse senatum, ut suâ vice singuli insignibus regiis induti sacrificarent regisque alia obirent munera* " [1]), hic universe de more Interregni ineundi loquens « *senatores unum post alterum post regis mortem* ἄρχειν *fuisse solitos, quem quinque dierum* ἄρχοντα Ἰντέῤῥηγα καλεῖσθαι " [2]), et quemadmodum Suidas in voce Μεσοβασίλευς memorat πενθήμερον ἀρχήν, quem Interregem nominaverint, ita Vopisci quoque verba significant, de illo tantum esse sermonem, qui cum fascibus ceterisque insignibus esset [3]).

Hucusque de primo tantum Interregno locuti sumus, de caeteris vero post regem mortuum Interregnis quid putandum sit, incertus haereo: nam quum e reliquis nihil certi de numero Interregum intelligi possit, ad Dionysium cunfugere coacti sumus, qui diserte quidem eandem rationem observatam docet, sed eâdem formulâ μεσοβασιλεῖς ἑλέσθαι etiam post reges exactos usque ad annum 311 u. c.

1) Plut. Numa c. 2.
2) Appian. bell. civ. lib. 1. c. 98.
3) Vopiscus vit. Taciti Imperat. initio.

utitur [1]), quo tempore e Livio unum tantum esse proditum constat [2]), de quo tamen eodem Interregno Dionysius rursus ἡ βουλὴ συνελθοῦσα μεσοβασιλεῖς ἀποδείκνυσι lib. 11. c. 62.

Unica, quantum video, exstat ratio, quâ huic casui mederi et Dionysio non omnem fidem abjudicare possimus, quamvis lubrica atque incertior haec via videatur. Sunt quidam Dionysii loci, ubi a solitâ recedens formulâ, unum Interregem proditum memorat [3]) et rursus alii, quo solitâ usurpatâ formulâ unus tantum a senatu creatur Interrex [4]); unde elici haud injuriâ possit, non accurate loqui Dionysium atque eâdem uti formulâ de tempore liberae reipublicae, quam de regiâ aetate locutus usurpasset, etsi ipse crederet, unum tantum postea Interregem creari solere. Quodsi hanc ratiocinandi rationem admittere possimus, inde ab initio liberae reipublicae unum tantum Interregem creare moris fuisse statuere licet, Interregumque decuria regum unice aetati vindicatur.

Fuisse tempus, quo unus crearetur, praeter Livium Dio Cassius et Asconius nos docere possunt; semper apud eos unius tantum mentio exstat [5]).

1) Vid. Dionys. lib. 3. c. 46, lib. 4. c. 80. Cf. lib. 3. c 31 et 36.

2) Liv. lib. 4. c. 7. Patricii — coiere et interregem — creavere. Cf. Liv. lib. 3. c. 40.

3) Lib. 4. c. 75. Sp. Lucretius lib. 11. c. 20. Ubi consilium senatui datur a Valerio dictatorem per Interregem dicendi, μεσοβασίλειον ἀρχὴν ἕλεσθε, τὸν ἐπιτηδειότατον ἐκλέξαντες τῶν πολιτῶν.

4) Vid. lib. 8. c. 90. μεσοβασιλεῖς ἑλέσθαι τοὺς πρεσβυτάτους κ.τ.λ. et paullo infra eodem capite ἀποδείκνυται πρὸς αὐτῶν μεσοβασιλεὺς Αὖλος Σεμπρώνιος Ἀτρατῖνος.

5) V. c. Dio Cassius lib. 46. pag. 482, ed. Reimari, Asc. Orell. argument. in Milonianam pag. 22. Cf. App. bell. civ. lib. 1. c. 98.

Beaufortius [1]), ut incertitudinem tenuemque scriptorum de antiquâ historia Romanâ auctoritatem argueret, Plutarchi cum Dionysii Liviique dictis de regnandi spatio, cuique Interregi concesso, inter se contulit, unde discrimen, quod inter eorum narrationes intercedat, declararet. At ne ipse quidem negare potuit Livii locum cum Dionysio posse conciliari, Salmasii Casauboniique interpretationes memorans capitis septimi decimi lib. I Livii historiarum. Sed nec Plutarchi hâc in re auctoritatem nos impedire posse credo, quum tot scriptorum consensum de tempore cuique tribuendo videmus: Plutarchi autem opinio, unde fluxerit, verosimiliter indagari posse non despero. De Livii et Dionysii dictis primum nobis agendum.

Dionysius satis accurate sententiam suam significavit, ut dubitare non possimus, quin ab eo quinque dies singulis Interregibus tributi sint, quinquaginta autem singulis decuriis [2]). Cum eo Livius omnino consentit [3]). *Quinque*, inquit, *dierum spatio finiebatur imperium et per omnes in orbem ibat;* quaeritur utrum *omnes unius decuriae* senatores, an *omnes senatores* significaverit? Posterius affirmare posse mihi videor ex iis, quae sequuntur *fremere plebs*, *multiplicatam servitutem*, *centum pro uno dominos factos*. Ergo omnes senatores, per quinque dies singuli, imperium tenuere, non singulae decuriae: unde refellitur Niebuhrii explicatio, qui unam decuriam, singulis e singulis

1) De l'incertitude des cinq premiers siècles de Rome, tom. 2. sect. 4. pag. 265 seqq.

2) Dionys. lib. 2. c. 57.

3) Lib. 1. c. 17.

Ramnetum decuriis lectis, per totum annum in orbem regnum obtinuisse opinabatur [1]). Livium reverà quinque dies singulis senatoribus tribuisse ex alio loco magis etiam patet, nempe e lib. 9. c. 34. ubi « *quem Interregno quinque dierum contentum fore* " rogat tribunus.

Haec igitur quum male Plutarchus intelligeret (sive Livium secutus, sive iisdem, quibus ille usus erat, adhibitis fontibus) et quinque dies singulis decuriis tribueret, fieri debuit, ut duodecim tantum horas unicuique largiretur Interregi, quam quidem Plutarchi opinionem a nemine recentiorum adscitam video [2]). Plerique cum Dionysio consentiunt, id quod meritò fecisse videntur, quum omnes fere antiqui scriptores hunc numerum probaverint et ubi de primo Interregno sermo est [3]) et ubi de liberae reipublicae temporibus agitur [4]).

Ab omnibus vero discrepat Vopiscus, quem, etsi tum corrupto loco tum propter minorem auctoritatem minus conspicuum, memorare tamen volui, ne quid praetermisisse viderer. Is « *totum illum* (primi Interregni) *annum per quinos et quaternos sive ternos dies centum senatoribus deputatum esse* " scribit; quod commentum, ejusmodi enim nihil apud ceteros memoratum invenies, Vopiscus fortasse inde finxit, quod videret, fuisse Interreges, qui tertio die comitiis peractis vel quarto magistratu abiis-

1) Niebuhr. tom. 1. pag. 357.

2) Zonaras Plutarchum secutus est lib. 7. pag. 321 et 322. Wachsmuthius unum diem singulos Interreges regno praefuisse putat, ductus ad hanc opinionem contemplatione decemvirorum collegii legibus scribendis pag. 141.

3) Appian. bell. civ. lib .1. c. 98. Eutrop. hist. lib. 1. c. 2. S. Rufus Epit. lib. 1. c. 2.

4) Asconius ed. Orell. pag. 41 ad Milon. Cf. Dionys. lib. 8. c. 90.

sent: nisi corruptus locus, ut in malae fidei vituperationem jam incurrat, effecerit [1]).

Causam parvi hujus dierum numeri nobis dedit Cicero: putat enim, ita fuisse institutum, *ne committeretur, ut quisquam inveteratâ potestate aut ad deponendum imperium tardior esset, aut ad obtinendum munitior;* cujus judicio lubenter Plutarchi eàdem de re effatum apponimus, etsi is non dierum sed horarum parvum spatium Interregibus dederit: *ἡ διανομὴ*, inquit, *τῶν καιρῶν ἑκατέρου πρὸς ἰσότητα καλῶς ἔχειν ἐδόκει τοῖς ἄρχουσι, καὶ πρὸς τὸν δῆμον ἡ μεταβολὴ τῆς ἐξουσίας ἀφαιρεῖν τὸν φθόνον.*

Annuum fuisse primum Interregnum ex scriptoribus constat antiquis [2]). Vopiscus tamen hic quoque ab illis dissentit, ut inconstantiae nota ei inferenda sit, nisi Salmasii conjecturam secuti fuerimus; primo enim annum illum post Romuli obitum a centum senatoribus in Interregno esse deputatum ex illo supra notavimus et tamen paullo inferius *pluribus annis* opus fuisse apud eundem legimus, ut singuli senatores magistratu illo fungerentur. Salmasius igitur recte, ut videtur, e Vaticano codice pro *plures annos* legit *plus anno:* unde tollitur discrepantia et restituitur sua Vopisco fides.

Est igitur — ut e dictis jam affirmare possumus — *Interregnum magistratus regis vicarius, quo fungebantur decem senatores, quorum singuli per*

1) Vid. Salmasium ad Vopisci c. 1. vit. Tacit. Imp. Si quis vero putet me iniquius de Vopisco judicare, legat, quomodo idem capite extremo de Interregno quinque annorum quid lib. Rep. fuit, atque de regiâ tribunorum plebis potestate fabuletur. Cf. de Vopisco. Cl. Heyne Opusc. Acad. tom. 6. pag. 61 - 65.

2) Dionys. lib. 2. c. 62. Liv. Eutrop. Rufus II.

quinque dies collegio cum regiis insignibus praeerant, ita, ut singulae decuriae per quinquaginta dies imperium tenerent.

§ 2.

QUINAM INTERREGES FUERE, QUOMODO CREABANTUR ET A QUIBUS.

De creandi ratione primum agemus, quoniam inde patebit, quinam et a quibus creati sint.

Difficillima nobis haec quaestio visa est; nam primum Livii Dionysiique locos, qui unici hâc de re nobis supersunt auctores, perlustranti, magna esse inter eos videbatur discrepantia, ut vix quid statuerem, decernere possem. Accuratius tamen eos inter se comparanti conciliari posse mihi persuasi. Fundamentum, cui superstruatur sententia omnium est antiquorum professio, non qnosdam, sed omnes senatores, modo temporis angustiae paterentur, Interregis dignitatem assequi potuisse: hoc Dionysius, hoc Livius profitetur in orbem iisse per omnes, a primâ decuriâ ad alias omnes munus Interregium esse perlatum. Praeterea in animum revocabam Ramnensium et Titiensium decuriarum discrimen, quod initio obtinuisse supra probare conatus eram et ducentorum Patriciorum numerum, qui Romulo mortuo in senatu fuerunt; ad senatores enim rege mortuo res redibat [1]).

1) Liv. lib. 1. c. 17. Dionys. lib. 2. c. 57. De significatione τοῦ *in orbem ire* vid Gesnerum Thes. ling. lat. in voce. Explicatio Tursellini de Partic. pag. 375, loci Liviani lib. 5. c. 19. *Senae horae in orbem operi attributae sunt* non procedit; significare putat *per vices* operas laborasse. Sed majorem vim τὸ *in orbem* habet atque adjunctam habet notionem repetendi, ut eo, unde exieris, redeas et perfecto orbe eandem rursus viam ingrediaris.

Habemus adeo decem decurias Ramnensium, decem Titiensium, quarum illas tantum agentes in primo Interregno Livius induxit. Scribit enim senatum in decurias singulas creavisse, qui rerum summae praeessent, quomodo creati sint, lectoris relinquit divinationibus. Succurrit huic difficultati Dionysius docendo, *sorte jactâ* decem esse electos, quibus regimen civitatis committeretur, in eo rursus negligens, quod unde denarius ille senatorum numerus provenerit tradere omisit. Verba utriusque apponemus, ut facilius rem perspiciamus. Haec igitur Livius « *Ita rem inter se centum Patres, decem decuriis factis, singulisque in singulas decurias creatis, qui summae rerum praeessent, consociant.*" Dionysius sic narravit: *τῶν πατρικίων οἱ καταγραφέντες εἰς τὴν βουλὴν ὑπὸ Ῥωμύλου, διακόσιοι τὸν ἀριθμὸν ὄντες — διενεμήθησαν εἰς δεκάδας· ἔπειτα διακληρωσάμενοι, τοῖς λαχοῦσι δέκα πρώτοις ἀπέδωκαν ἄρχειν τῆς πόλεως τὴν αὐτοκράτορα ἀρχήν.* In Dionysii verbis nihil est, quod offendat. Quid vero *in singulas decurias* apud Livium significat? Videntur verba distributive h. l. esse posita, ut indicare voluerit, e singulis decuriis singulos esse electos, qui unam decuriam efficerent. Convenit dicendi formula cum ea Livii lib. 34. c. 50. « *Polybius scribit, centum talentis eam rem Achaeis stetisse, quum quinqenos denarios pretium in capita, quod redderetur dominis, statuissent* " aut cum illâ lib. 9. c. 43. *frumento imperato et annuo stipendio ac singulis in militem tunicis* [1]) caet.

1) Cf. Cic. a Verrin. c. 53. Timarchus describebat censores binos in singulas civitates et pro Balbo c. 21, ut in singulas colonias ternos cives Romanos facere posset.

Utriusque igitur narrata conjungens, nihil obstare credo, quin sic dicamus: sortitionem esse factam, quâ e singulis decuriis singuli eligerentur, qui una Reipublicae gubernaculum capescerent; deinde decem imperio functis, sortitionem esse repetitam, sed e decuriis Titiensium, uti primâ vice e Ramnensibus et sic alternis vicibus ad Romanas et Sabinas decurias Interregis munus pervenisse; donec novus rex creatus Interregni necessitatem tolleret. Nec tamen omnes senatores eo primi Interregni anno imperii honore ornatos fuisse puto; quum enim annus vel 304 vel 360 diebus constaret [1]), hoc fieri non potuit et semper magnus senatorum numerus regni expers manere debuit, quamquam ex instituto licebat, modo tempus sufficeret; per omnes enim idque in orbem magistratus ire solebat, ut si omnes senatores Interreges fuissent, necdum ordinarius esset magistratus creatus, senatores primae decuriae rursus regnare inciperent et sic reliqui eodem ordine, quo prima vice factum fuerat [2]).

Ramnensibus praerogativam concessi, nec temere, ut opinor. Primi certe Interregni tempore praevalere eos videmus, etsi jura aequalia essent, ex iis, quae a Livio, Dionysio, Plutarcho de turbis regis creandi opportunitate excitatis accepimus [3]). Numquam sane Titienses Ramnensibus cessissent, nisi vis aliqua major et auctoritas politica apud

1) Vid. Ideler, Handbuch der Mathem. und Techn. Chronologie. tom. 2. pag. 19.

2) Dionys. lib. 2. c. 57. *Διεξελθούσης τοῖς πρώτοις μεσοβασιλεῦσι τῆς πεντηκονθημέρου προθεσμίας, ἕτεροι δέκα τὴν ἀρχὴν παρελάμβανον, καὶ παρ' ἐκείνων αὖθις ἄλλοι.* Liv. lib. I. c. 17. Per omnes in orbem ibat.

3) Liv. II. Dionys. lib. 2. c. 57 seqq.

eos fuisset; quod inde etiam probabile fit, quod Numa ad eorum voluntatem concordiae causâ quodammodo egerit, quum honores quosdam Ramnes cum Titiensibus post Romuli mortem communicare nollent.

Sublato tamen magis magisque decuriarum discrimine, quum in eadem decuriâ, aetatis tantum ratione habitâ, senes omnium gentium Patricii aut juniores essent, alternae illae vices desinere debuere; eademne tamen creandi ratio in usu manserit, nec ne, parum constat. Si eandem ex omnibus decuriis singulos eligendi rationem retinuerunt, res ipsa docet unâ sortitione duas simul decurias esse electas, quae sibi in Interregno succederent. Verum varie secundum suam voluntatem et prout res requirerent senatum constituisse, quomodo res perageretur, e Dionysio suspicari licet lib. 3. c. 1. ubi jam statim post Numae mortem senatum decrevisse legimus, ut *ἐκ τῶν πρεσβυτέρων* Interreges proderentur *εἰς ὡρισμένον τινὰ ἀριθμον·* unde docemur a senatu decurias vel decuriam seniorum esse designatas, quarum participes Interreges suâ vice fierent, donec numerus a senatu constitutus completus esset [1]. Fortasse jam tum e decuriis Interreges creandi mos sublatus est et singuli duntaxat a senatu proditi regnum obtinuerint: causa enim, cur pristino more fieret, non amplius aderat, si quidem nunc ad reges tantum creandos proderentur, non, ut antea, senatum decuriatim representarent. Interim certo id statuere nolo, quum expulsis demum regibus

1) Vel *dierum* vel *Interregum* lectio enim varias vid. Reiske ad h. l. *ἐκ τῶν πρεσβυτέρων* de senioribus senatoribus explicandum, non, ut Niebuhrius fecit, de majorum gentium senatoribus. tom. 2. pag. 128.

unus proditus a Dionysio diserte dicatur et Livii narrationes non satis accuratae sint, ut eum quoque ita sensisse certo constitui possit [1].

Qui omnes has caeremonias gubernaret, principem senatus fuisse non dubito, quo auctore factum quoque erit senatusconsultum, quod Interregum proditionem praecedere debuit [2], quae quum animadverteret Niebuhrius et principatum senatus cum custodia urbis esse conjunctum, unam vero Interregum decuriam agnosceret e Ramnensibus regiâ aetate electam et Decemprimorum e Ramnensibus decuriam Interregium munus semper jure suo accepisse poneret — fieri aliter non potuit, quin custodem urbis, qui jure magistratus ad primam senatus decuriam pertineret, praesidem Decemprimorum collegii et primum Interregem faceret [3].

Nos vero, qui haec omnia admittere noluimus eam ratiocinandi rationem et conclusionem inde petitam non possumus probare: quamquam non negamus, verosimiliter principem senatus vulgo inter primos Interregium nactum esse imperium, sed honoris tantum gratiâ, non jure magistratus. Reputare enim oportet, mortuo rege cum custodem urbis tum tribunum Celerum magistratu se abdicare debuisse, quippe quem e regis auctoritate gererent [4]. Ce-

1) Vid tamen Liv. lib. 1. c. 32. *Mortuo Tullo, res, ut institutum jam inde ab initio erat, ad Patres redierat, hique Interregem nominaverant.*

2) Dionys. lib. 4. c. 80. *πρῶτον μὲν ψηφίσματος ὑπὸ τῆς βουλῆς γραφέντος, ᾗ περὶ πάντων ἀποδέδοται τῶν κοινῶν προβουλεύειν, ἔπειτα μεσοβασιλέων αἱρεθέντων.*

3) Tom. 2. pag. 127.

4) Exemplum praebet Brutus post Tarquinium ejectum abdicans se tribunatu Celerum Dionys. lib. 4. c. 75. Cf. lib. 8. c. 90. ubi creato Interrege *αἱ δ' ἄλλαι κατελύθησαν ἀρχαί.* lib. 4. c.

terum is, cujus sors prima excidisset, primus Interrex factus, cum fascibus primus fuisse videtur. Haec de decuriarum ratione sufficiant, de singulis Interregibus, qui proditi sint, sermo nunc nobis erit, quâ de re disputaturis quaestio oritur, utrum senatus an Interregis ipsius fuerit successoris nominatio? E Dionysio lib. 2. c. 57. nobis innotuit, Interreges ipsos praesidium successoribus tradidisse primum secundo, hunc tertio et sic porro usque ad decimum; verum universe haec dicta et incertae significationis. Interim fortuna duos alios servavit locos, unde accurate, qui peracta sit solennitas, pateat: libro enim 5. c. 72. haec leguntur Ἀναστὰς ὁ Κλόιλιος ἀναγορέυει τ' αὐτὸν, (sc. Lartium dictatorem) ὥσπερ εἰώθεσαν ποιεῖν οἱ μεσοβασιλεῖς. qui locus, minus recte, ut suspicor, ita explicat cl. Creutzerus, ut Dionysium voce Μεσοβασιλεῖς perperam dictatorem appellasse dicat [1]). Etenim c. 71 extremo, ubi de dictatore creando sermo erat, haec dicit unus e senatoribus „ μεσοβασιλέων δ' αὐτοῖς μηδὲν ἐν τῷ παρόντι δεῖν κ. τ. λ." unde patet Dionysium rite a se invicem distinxisse utramque magistratus speciem: quocirca et quod lib. 8. c. 90. successoris ipsum creandi potestas Interregi tributam videbam, in hanc sententiam interpretari hunc locum malui, ut revera ad Interreges spectasse Dionysium arbitrer et argumentum inde petam, quo fretus Interregem surgentem in senatu ipsum nominasse successorem contendam [2]).

75. Lucretius, custos urbis, fit Interrex; sed non jure magistratus, ut Niebuhrius habet, sed quod unus erat e conjuratis et Lucretiae pater. Quid enim novo opus erat magistratu, si quem haberet, legitime retinere potuisset?

1) Abriss der Römische Antiquitäten pag. 237.

2) Cf. lib. 5. c. 31. Interrex creatur M. Furius Camillus,

Auspicia, quae in omnibus Romanorum rebus tantopere valuerunt, Interregis creandi solennitate omissa esse nemo facile credat, etiamsi hâc de re nihil in antiquorum scriptis hodie inveniatur. Livius tamen satis manifeste auspicia non neglecta, immo vero summâ curâ hic quoque habita esse nobis significat. Appius enim Claudius de Patriciorum juribus loquens « *Nobis*, inquit, *adeo sunt propria auspicia*, *ut nos quoque ipsi sine suffragiis populi auspicato Interregem prodamus*" [1]; unde simul per se solum Interregis creationem perfecisse senatum docemur et cujus ordinis saepius dictus magistratus fuerit percipimus, de quo mox pluribus. Hic autem prius animadvertere lubet, nostram descriptionem, quod ad Interregum prodendorum rationem pertinet, magnopere eo confirmari, quod ad Patriciorum conditionem prorsus quadret. Consilium novi hujus regiminis formae institutae supra ex eorum regnandi studio adhibitis antiquorum testimoniis repetivimus; consentaneum igitur erat, ut, quoad fieri posset, omnes honoris participes fierent re inter Patres consociata, id quod nullo modo melius perfici poterat, quam si e singulis decuriis eligerentur atque ita totus representaretur Patriciorum ordo. Accedit, quod alternis Romanis Sabinisve tradita dignitas non potuerit non conferre ad diversas partes conciliaudas et concordiam restituendam: cujus quidem consilii bonitas inde impugnari non debet, quod speratum

qui P. Cornelium Scipionem, is deinde L. Valerium Potitum Interregem — prodidit.

1) Liv. lib. 6. c. 41. Notetur, solennem creandi formulam esse, *prodere Interregem*. Cf. lib. 4. c. 7 et 43. lib. 5. c. 31.

eventum non habuerit. Sub specie unius regis omnes regnarunt, unde diu novus sine invidia stetit magistratus, donec tempore procedente plebi tandem illa fraus innotuit: unde miror, quod ante me jam multi mirati sunt, numquam, quantum ex historia pateat, ne vel auspiciorum quidem praetexto remoto tetendisse plebejos', ut Interreges fierent vel ut proderent saltem cum Patriciis Interregem, qui dictaturam etiam sui ordinis communem fecerint. Asconius enim suo etiam tempore Patriciis solis Interregis prodendi munus vindicat [1]), confirmans, quod scriptor Orat. pro domo c. 14. in eandem sententiam disseruit et Livius lib. 6. c. 41. contendit. Nam uti e locis laudatis patet, non e senatorii, sed Patricii ordinis jure pependit, utrum quis Interregem prodere posset, nec ne, atque secundum Livii et Oratoris pro domo l. l., comparato Dione Cassio lib. 46. pag. 482, nemo nisi Patricii ordinis vir ad Interregnum admitti potuit eaque scriptorum testimonia mirum quantum historia confirmat, quum nullus unquam plebejus hoc honore dignus sit habitus et nusquam ejus juris nanciscendi conatuum a tribunis factorum apud historicos inveniantur exempla.

Ne quis objiciat locos a me allatos ad liberae reipublicae tempus pertinere, non vero ad regum aetatem. Etenim, etiamsi omnes loci illi nihil valerent (quod non facile concesserim) tamen Patricios tantum Interreges regum aetate fuisse, inde certissimum est, quod senatores tantum ad Tarquinium ejectum omnes Patricii, tum Interreges fuerint tum Interreges prodiderint.

1) In Milonianam Cicer. pag. 32. ed. Orellii.

Ceterum, quo inter magistratus loco Interrex sit habitus, efficitur quodammodo e Livio lib. 41. c. 9, ubi tertius post dictatorem interposito consule nominatur in senatus consulto; unde summos magistratus dignitate eum aequasse non temere statueris. Nec mirum Romanos Patricios magno eum prosecutos esse honore; fuere enim semper senatus ejusque auctoritatis propugnatores, id quod munus erat maximum et molestissimum, quum subinde injustitiae senatorum defensores adversus tribunos esse cogerentur et regià quoque aetate per eos ad senatus voluntatem reges fierent. Habet praeterea Interregum catalogus, quibus glorietur, magna Valeriorum, Camillorum, Fabiorum aliorumque multorum nomina qui vel rebus gestis vel, idque maxime, bellicis maximam sibi gloriam comparaverint.

§ 3.

MUNERA, POTESTAS.

Inter munera Interregum, quae apud scriptores memorantur, primo loco nominandum senatus et comitiorum praesidium, quo opus iis erat ad regem creandum, ad quorum comitia habenda, excepto, ut vidimus, post Romuli mortem, legebantur, quo tempore ad totam reipublicae administrationem eorum potestas pertinuisse videtur, de quo deinceps disserendi erit copia: nunc qui reges creaverint perquiramus.

Supra jam eorum opinionem culpavimus, qui putent populum post regis obitum senatui commisisse, ut de reipublicae forma vel retinenda vel mutanda,

constitueret; immo vero ardentem novi regis desiderio jam Romulo sublato plebem videmus, adeo, ut senatus morem ei non gerere non posset, et sic post ceterorum mortem a senatu petiisse, ut cito regem creare liceret, tum ipsius plebis salus, quae per regem tantum adversus optimates stare posset, suadet, tum confirmat historia. Mortuo igitur rege haec solennitatis ratio fuit.

Constituti e senatus consulto Interreges de rege creando referebant, consilio ante inter se habito [1]), et senatus suffragia de nominato rege ferebat [2]). Utrum senatui δοκιμασίας jus concederem paullisper dubitavi, nec Niebuhrius ll. negat, verba Dionysii lib. 2. c. 58. ὅτι κύριος γεγονὼς αὐτος διαγνώσεως τοῦ παραληψομένου τὴν ἀρχήν ad contrariam ducere posse opinionem, quasi Interregum solum eligendi jus fuerit proprium.

Sunt tamen alii loci, qui magis etiam idem suadere videntur v. c. Dionys. lib. 5. c. 71, ubi μονογνώμονας τῶν μελλόντων ἄρξειν vocat et lib. 4. c. 40, ubi ἐκεῖνοι δὲ, sc. Interreges, τὸν ἄριστον ἄνδρα — βασιλέα καθίστασαν. Verumtamen quoniam ipse Dionysius fatetur, numquam a curiis sine senatusconsulto suffragium esse initum [3]), ut supra pluribus ostendimus et loci allati aliam interpretationem patiuntur, nempe *Interreges ad senatum de rege a se nominato retulisse*, non dubito, quin vera

1) Dionys. lib. 4. c. 80. pag. 828 Reiske. μεσοβασιλέων αἱρεθέντων, οἷς ἐπιτρέπει τὸ συνέδριον — διαγνῶναι τὸν ἐπιτηδειότατον. et pag. 829. τίνα μεσοβασιλέων διάγνωσιν; Cf. Dionys. lib. 3. c. 1 et 46, lib. 4. c. 8, 34 et 40.

2) Niebuhr. tom. 1. pag. 358 adde, quibus ille citavit, lib. 4. c. 31. οὐδε ἡ βουλὴ ψῆφον ὑπέρ σου διήνεγκεν.

3) Dionys. lib. 7. c. 38 passim.

sit ea ratio, quâ Numa, apud Dionysium lib. 2. c. 58., ab Interregibus propositus a senatu eligitur [1], collato Livii lib. 1. c. 17, ubi populus id modo sciscit jubetque, ut *senatus* decerneret, qui Romae regnaret.

In eodem senatusconsulto fuisse constitutum, quo die comitia essent, suspicor; ita saltem libera Republica fuisse Livius auctor est lib. 4. c. 43. « *Modo* (sunt Livii verba) *Interregem interpellantibus*, sc. tribunis, *ne senatusconsultum de comitiis consularibus faceret;* necesse enim erat, ut dies definiretur, ne relicto Interregibus hujus rei arbitrio in infinitum comitia differrentur, quod facile obtinuisset unoquoque regiâ dignitate fungi cupiente. Videtur tamen senatus interdum eodem decreto, quo Interreges crearet, de comitiorum tempore statuisse: quod ut credam facit Dionysius narrans, post Numae mortem senatum creasse, qui *εἰς ὡρισμένον τινὰ ἀριθμόν* Interregno fungerentur [2].

Tempore constituto ad comitia Interreges populum convocant assidentibus collegis ei, penes quem fasces essent, captisque ante auspiciis sacrificiisque peractis [3]) nomen designati regis pronun-

1) Sic Livii locus lib. 1. c. 18. *Audito nomine Numae, Patres Romani — Numae Pompilio regnum deferendum decernunt.* Nomen Numae ab Interregibus illatum est, Patres ejus electionem confirmant. Sic posito, sensus verborum Dionys. lib. 2. c. 58. *ὅτι κύριος αὐτὸς διαγνώσεως κ. τ. λ.* hic est: Profitetur Interrex, se e senatusconsulto potestatem accepisse regis creandi: *αὐτὸς* dicit ratione habitâ senatus, de quo antea locutus fuerat.

2) Dionys. lib. 3. c. 1. Numquam tamen primus Interrex comitia habere poterat, vid. Ascon. ad Milon. pag. 43, nec primo magistratus die, ut suspicor e Livio hic illic tradente, quo die vel tertio vel quarto comitia sint habita; numquam prima dies nominatur. Vid. v. c. Liv. lib. 3. c. 8.

3) Dionys. lib. 9. c. 41, lib. 10. c. 4.

tiat [1]) populumque citat curiatim ad suffragia ferenda [2]). Hoc autem loco animadvertere liceat, mirum sane esse, Dionysium lib. 2. c. 58. de hisce comitiis loquentem suffragiorum mentionem omittere in iisque nihil perfici, nisi legatorum ab Interrege e Patriciis electionem, qui regem ad regnum accipiendum adducant; deinde vero, aliis comitiis convocatis, de rege suffragia ferri c. 60., Livium autem lib. 1. c. 42. distinguere *comitia* a *suffragiis populi*, ubi exprobrat Superbus Tarquinius Servio, eum « *non Interregno ut antea, non comitiis habitis, non suffragio populi — muliebri dono regnum accepisse.*" Haec videnti suspicio mihi oborta est, cogitandumne sit de propriâ regis a populo electione et de lege curiata de imperio, ut priora Dionysii per illa comitia, in quibus legati eliguntur, a Livio per *comitiis habitis* fuerint designata et distincta a secundis, quibus legem de imperio significaverint. Etenim quid legatione opus erat, nisi cognitis ante populi suffragiis, utrum regem nominatum juberent, nec ne? Quis credat quemquam adductum in regnum, quod nondum accepisset? Cur tandem Livius comitia et suffragia populi separasset, nisi aliquod discrimen inter ea intercederet?

At vero pro certo id affirmare non meum est: quid quid est, hoc constat, post peracta comitia legatos ad regem mitti solitos esse, qui eum adducerent confirmatisque Patrum auctoritate, referente

1) Dionys. lib. 2. c. 58, lib. 4. c. 75. ὀνομασάτω, usurpata formula: *Quod bonum, faustum felixque sit, Quirites, regem create.* Liv. lib. 1. c. 17.

2) Cic. de Rep. lib. 2. c. 13. Dionys. lib. 2. c. 60. Cf. lib. 4. c. 12.

Interrege, comitiorum suffragiis [1]) regem ipsum curiatim de imperio suo populum consuluisse [2]).

Hoc modo usque ad S. Tullium reges a senatu et populo, medio Interrege, creati sunt, qui auctore Cicerone, Patribus se non comisit [3]) i. e. non passus est, ut Interreges crearentur, qui de rege creando ad senatum referrent, sed ipse omissis senatu Interregibusque ad populum tulit, juberentue se regnare, jussusque regnare, etsi senatus auctoritatem suam negasset, de imperio suo populum consuluit curiatim [4]).

Institutum insuper a Numa, ut auspicia Deorum hominum voluntatem sancirent, unde et ipse, ab augure in arcem ductus, auspiciis captis inauguratus rex in planum rediit [5]): post Pontifices institutos comitiis calatis arbitris Pontificibus inauguratio est peracta [6]). Hisce igitur peractis hominumque et Deorum consensu rex erat creatus, tanquam magistratus comitiis curiatis, tanquam imperator lege

1) Liv. lib. 1. c. 22. Regem populus jussit, Patres auctores facti. Cf. Dionys. lib. 4. c. 12. Cic. de Rep. lib. 2. c 32. Inde senatus dicitur tradidisse regnum Dionys. lib. 4. c. 34. τῆς βουλῆς μοι παραδούσης τὰ πράγματα.

2) Cic. de Rep. lib. 2. c. 13 aliis.

3) Cic. de Rep. lib 2. c. 23.

4) Cic. ll. Dionys. lib. 4. c. 8 et 12. Livius eum *injussu populi, voluntate Patrum regnasse* ait; verum Dionysii et Ciceronis narratio inde confirmatur, quod Festus *Patricium vicum* appellatum esse dicit, quod ibi Patricii habitavere jubente Servio Tullio, ut, si quid molirentur adversus eum, ex locis superioribus opprimerentur; tum quod ipse in Esquilino habitavit, plebejorum receptaculo. Dionys. lib. 4. c. 13. Vid. Wachsmuth. ll. pag. 226. Göttling. pag. 233 putat, eum Custodem urbis fuisse et sic factum, ut ipse comitia habuerit.

5) Caeremonias observatas apud Livium invenies lib. 1. c. 18. Cf. Dionys. lib. 2. c. 60.

6) A. Gellius, Noct. Att. lib. 15. c. 27, apud Göttling. pag. 164 et 165.

de imperio, tanquam summus sacerdos a Pontificum collegio in comitiis calatis et *optima lege* regiam nactus erat potestatem [1]: quodsi horum aliquid desideraretur, rex esse non poterat et de integro omnes caeremonias repeti necesse ducebant Romani; unde haec Dionysius: *ἐλλείποντος δέ τινος τούτων ἕτερον ὠνόμαζον καὶ τρίτον, εἰ μὴ συμβαίη τῷ δευτέρῳ τά τε παρὰ τῶν ἀνθρώπων καὶ τὰ παρὰ τῶν θεῶν ἀνεπίληπτα.*

Rem militarem Interreges non attigisse, praeterquam quod nusquam memoratum invenimus, docet locus Livii, ubi Interrex, tribunis plebis comitia impedientibus, loquitur de periculo, in quo respublica versetur, dicitque « *Vejentibus induciis et cunctatione Aequorum rempublicam stare*," rogatique « *si quid increpet terroris, num placeat sine Patricio magistratu rempublicam opprimi? non exercitum, non ducem scribendo exercitui esse?*" [2] Verum quod summum et perpetuum est, Interreges lege curiatà de imperio, sine quà rem militarem 'attingere non licebat [3], imperium non accipiebant, ita ut, etiamsi senatusconsultum esset factum, videret Interrex, ne quid detrimenti respublica caperet, eos non conscribere milites, nedum imperator esse potuisse statuendum esse videatur [4].

Jurisdictionem Interreges habuisse videntur. Livius saltem lib. 41 c. 9. iis manumittendi atque in libertatem vindicandi jus adjudicat, his senatus

1) Göttling. pag. II.

2) Liv. lib. 4. c. 43 extr.

3) Cic. contra Rullum Orat. 2. c. 12. *Consuli, si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet*, adde, quae habet Strasserus pag. 84 et 85.

4) Ascon. ed. Orell. pag. 25. Dio Cass. lib 40. pag. 253. Cf. Sallust. fragm. lib. I. pag. 380. ed. Cortii.

consulti verbis: « *Ut Dictator, Consul, Interrex, Praetor, qui tunc esset, apud eorum quem qui manumitteretur in libertatem vindicaretur, ut jusjurandum daret, civitatis mutandae causâ manu non mittere.*" Negat tamen Schutzius (Lex. Cic. in voce *Interregnum*) Interreges habuisse juris dicundi potestatem e Ciceronis loco. Ep. 11. lib. 7. ad Famil. [1]), unde tamen contrarium eruere et posse et debere nobis videmur, reputantes etiam, quae Plutarchus hac de re dixerit Numa c. 2. *ἔταξαν οἱ πατρίκιοι — ἐν μέρει ἕκαστον — θύειν τε τοῖς θεοῖς τὰ νενομισμένα καὶ χρηματίζειν.*

Significat Cicero breve Interregni spatium, per quod nulla fere causa ad exitum perduci poterat. Quis, inquit, hoc tempore, quo tot Interreges sibi succedunt, jureconsultum requirit? Nulla enim causa agitur et agetur profecto, si is, unde petitur advocationes binas a singulis Interregibus postulaverit. Irridentur Interreges; nam quid juvat eos jurisdictio, cui unusquisque sese substrahere poterit, si advocationem petierit i. e. tempus, per quod cum aliis communicare res suas possit et consilium petere a jureconsultis. Quo igitur certius, inquit Cicero, et tutius agat, consilium reo dederim binas advocationes postulandi, ne, unâ breviore datâ, deceptus causam rursus agere debeat; duae certe sufficient et per longum tempus ab hac parte securus erit, si singuli ejusmodi deliberandi spatium concesserint: mutato enim judice repeti petitio de-

1) Locus hic est. Scribit Cicero ad Trebatium „ *Nisi ante Româ profectus esses, nunc eam certe relinqueres. Quis enim tot Interregnis jure consultum desiderat? Ego omnibus, unde petitur, hoc consilium dederim, ut a singulis Interregibus binas advocationes postulent. Satisne tibi videor abs te jus civile didicisse?* "

bet; ceterum qui advocationes dare poterat, is jurisdictionem habere debuit. Ita explicato loco Ciceronis difficultas tollitur et cum Livii et Plutarchi testimonio in concordiam redactus est. Ex disputatis igitur patet jurisdictionem habere Interreges potuisse atque exercuisse etiam; verosimiliter justitium vulgo indictum fuerit, uti per dictatoris imperium saepissime fiebat, scilicet si paucos dies in Interregno res essent.

E Ciceronis Agr. 2. c. 2. patere videtur, Interreges leges rogare potuisse [1]. Interim operae pretium hac de re audire disputantem Beaufortium (Vol. 1. pag. 405 de la Rep. Rom.) « *En effet, (quoique je ne dispute pas à l'entreroi une autorité étendue, tant à cet égard qu'à l'égard du reste, puisqu'elle était la même que celle des consuls et même des rois,) comme il fallait, qu'avant faire confirmer une loi, elle fut affichée pendant trois jours de marchés consécutifs et que ces marchés ne se tenaient que de neuf en neuf jours, il est visible, que l'autorité de l'entreroi était de trop courte durée pour qu'il eut le temps de proposer et de faire confirmer les lois.*"

Rebus sacris, quin praefuerit, non dubito; nam praeterquam quod auspiciorum jus haberet Interrex Patricii ordinis jure (Dio Cass. lib. 40. pag. 250.) et auspicato crearetur, apud Plutarchum Numa c. 2. disertis verbis eos publica sacra factitasse legimus: post Romuli certe mortem sacrorum curam gerere debuerunt, pontificibus nondum creatis.

1) Verba haec sunt „*Omnium legum iniquissimam dissimillimamque legis esse arbitror eam, quam L. Flaccus Interrex de Sulla tulit, ut quaecunque ille fecisset, essent rata.*" Leges autem ferebant e senatus auctoritate vid. App. bell. civ. lib. 1. c. 99.

Interregum igitur muneribus recensitis vix dubito, quin regiam illis potestatem, post Romuli saltem obitum, datam esse putemus: quae enim aliis temporibus abjudicandam illis videbatur imperium militare, id ante Numam a Livio lib. 1. c. 17 habuisse dicuntur. « *Patres deinde timor incessit, ne civitatem sine imperio, exercitum sine duce — vis aliqua externa adoriretur et esse igitur aliquod caput placebat.*" Quibus si Dionysii testimonium addideris αὐτοκράτορα eorum fuisse ἀρχήν, parum, ut spero, ad confirmandam nostram sententiam desiderabimus: ἀρχήν enim αὐτοκράτορα Dionysius vocat, plenam summamque potestatem, quà qui sit ornatus, ipse e suà auctoritate agit, nec senatum consulere opus habet [1]. Nos quidem adeo illimitatam potestatem Interregibus tribuere non potuimus, sed tamen arguit ille locus non nimiam Interregibus assignare auctoritatem, qui regio eos imperio fructos putet, quorum insignia etiam habuerint [2].

1) Hoc patet ex hisce locis: lib. 8. c. 11. αὐτοκράτορες πολέμου sunt Coriolanus et Tullus, Volscorum imperatores. lib. 2. c. 14. Lacedaemoniorum reges dicuntur non fuisse αὐτοκράτορες, ὅ τι βούλοιντο πράττειν, ἀλλ᾽ ἡ γερουσία πᾶν εἶχε τῶν κοινῶν τὸ κράτος. Eodem loco Romulus, qui de aliis rebus senatum consolere debet et facere quod ille decreverit, ἡγεμονίαν αὐτοκράτορα ἐν πολέμῳ habet. lib. 7. c. 51 tandem populus Romanus οὐδένος αὐτοκράτωρ esse dicitur, quoniam sine senatus consulto de nulla re agere potest.

2) Dionys. lib. 2. c. 57. βασιλικῆς ἐξουσίας σύμβολα. Liv. lib. 1. c. 17. Cum insignibus imperii et lictoribus erat.

THESES.

1.

Recte Niebuhrius v. cl. antiquissimos clientes ab ordine plebis distinxit.

2.

Ante legem 12 Tabul. connubia Patrum et plebis promiscua fuisse videntur.

3.

Romanorum curiae antiquis tribubus non antiquiores fuisse videntur.

4.

Interregni origo e Patriciorum regnandi studio repetenda est.

5.

Non assentior cl. Wachsmuthio Aelteste Gesch. pag. 203. tribus cum Equitum centuriis confundenti.

6.

Decemviri legibus scribendis primi anni decemviralis non fuere Interreges, ut Niebuhrius opinatus est, neque a decemviris secundi anni ratione magistratus habita quidquam fuere diversi.

7.

Errare videtur cl. Hüllmannus, ubi e verbis Dionysii Arch. lib. 2. c. 10. ἐξηγεῖσθαι τὰ δίκαια probare studet, patronos jurisdictionem in clientes habuisse.

8.

Non assentior cl. Göttlingio ll. pag. 156 et 157 dicenti: « *Wie das Verhältniss der Volksversammlung zum Senate jetzt dargesteld ist*, (sc. senatus προβούλευμα ad populum referri confirmandum) *so erscheint es historisch in Rom selbst zu Dionysius Zeit von diesem selbst anerkannt* (lib. 7. c. 38, lib. 9. c. 41). *Dagegen erwähnt Dionysius* lib. 2. c. 14. *in der älteste Zeit sei das Verfahren umgekehrt gewesen. In der Volksversammlung sei zuerst abgestimmt und dann der Gegenstand zur Bestätigung oder Verwerfung dem Senate vorgelegt worden. Es ist klar, dasz hier bei Dionysius ein Miszverstand obwaltet: er hielt den Ausdruck* Patres, *den er in seinen Quellen fand, für die Bezeichnung des Senats, da es doch die Altbürger überhaupt bedeutete und sah die* Lex Curiata de imperio, *die er allein gemeint haben kann, als eine Senatorische Bestätigung an, während sich die Sache ganz anders verhielt.*

9.

Recte cl. Gronovio Observ. lib. 1. c. 25. causa Interregni, quod anno u. c. 454 obtinuit Liv. lib. 10. c. 11. in eo videtur quaerenda, quod legi Liciniae, quà alter consulum e plebe creari deberet, obtemperare Patricii nollent.

10.

Fides non habenda cl. Strassero, Dionysii verba

lib. 2. c. 62. *ἔπειτα τοὺς πατρικίους οὐδεν μὲν ἀφελόμενος, ὧν οἱ κτίσαντες τὴν πόλιν εὕροντο*, de possessionibus Patriciorum s. de agris publicis explicanti et Dionysii verba pag. 61 sic vertenti. ***Dass er die alten Römischen nichts von Ihren Besitze entzog.***

11.

Assentior cl. Firnhaber contra Duntzeri sententiam neganti, personas in Alcestide Euripidea satyricum referre colorem. Vid. Zimmerman Zeits. für Alterthumsk. A. 1840, pag. 150 seqq.

12.

Quod ad sensum haud contemnenda Firnhaberi conjectura, Zimmerman ll. pag. 158., versum 70 Euripidis Alcestidis sic legentis.

Κ᾽ οὐθ᾽ ἡ παρ᾽ ἡμῶν σοι γενήσεται χάρις,
Δράσεις θ᾽ ὅμοι᾽ οὐ ταῦτ᾽, ἀπεχθήσει τ᾽ ἐμοι.

Vulgo autem legitur ὁμοίως ταῦτ᾽.

13.

Euripidis Andromache verosimiliter Olymp. 89 scripta est.

AAN MIJNEN VRIEND

D. TERPSTRA

BIJ ZIJNE BEVORDERING TOT DOCTOR IN DE LETTEREN.

De vreugde, welke de dag uwer bevordering bij u verwekt, is zeker met eene weemoedige stemming vermengd. Hoe dikwijls toch, wanneer wij over dien dag spraken, betuigdet gij mij uw smartgevoel, dat uw waardige Vader geen deelgenoot dier vreugde zou zijn. — Ieder, die weet welk een Vader u door den dood ontnomen werd, moet die droefheid over zijn gemis billijken en u diep beklagen, gelijk het dan ook aan menigvuldige proeven van hartelijke deelneming u niet heeft ontbroken. —

Maar hoe gegrond die droefheid zijn moge, gij ziet daarom toch het geluk niet voorbij, dat u heden te beurt valt; en mist gij in uwen Vader den hartelijksten deelgenoot uwer vreugde, uwe overige Betrekkingen, uwe Vrienden, vooral die, welke gij aan Utrecht's Academie bezit, willen dat gemis door hunne deelnemende vriendschap, zoo veel mogelijk, vergoeden. Onder die laatsten, weet ik, telt gij ook mij. De opregte vriendschap, die er sints vier jaren tusschen ons bestond, is mij daarvoor een zekere waarborg. Altijd is zij getrouw gebleven: veel heeft zij bijgedragen tot verhooging van mijn levensgenot en in meer dan een opzigt was zij nuttig voor mij. — Vriend, wij gaan eene onzekere toekomst te gemoet. Wat uw lot zijn zal, weet ik niet; wat mij te beurt zal vallen, is u eveneens onbekend.

Maar eene vriendschap, die zich nimmer verloochende en welker grondslag hooger dan deze aarde ligt, zij zal niet verbroken worden al verwijdert onze bestemm. , ons ook ver van elkander; geene lotsverwisseling kan immer nadeeligen invloed op haar nitoefenen.

En wat zal ik u voor nwen aanstaanden werkkring, welken gij, naar ik hartelijk wensch, spoedig voor n geopend zult zie toewenschen? Ik weet niets beter en geene woorden leest liever dan die, welke nw Vader, kort voor zijn overlijden, in zijne n opgedragene Brieven aan u schreef: „ God geve, dat gij „ vele jonge menschen tot dankbare zonen, zelfstandige mannen, brave burgers en boven al tot ware betrachters van „ Jezus leer vormen zult, welke bij nwen spaden dood tranen „ van hartelijke dankbaarheid storten op uw graf, en met grond „ betuigen kunnen, dat gij alleen door uw verscheiden onbegrijpelijk veel hebt gewonnen, maar der maatschappij door „ nw verlies een gevoelige slag is toegebragt."

Vaarwel, Vriend! God zij met u! vergeet nwe Academievrienden niet en zijt altijd dezelfde voor

Uwen opregten Vriend,

April 1842. P. A. VAN DER SCHEER,

Litt. Hum. Cand., Theol. Stud.